

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Historia Colloqvi leverensis Inter Lutheranos Et
Reformatos Anno c̄l l̄ LXXVI. instituti, Ex Idoneis
Monumentis Adornata**

**Feustkingius, Johannes Henricus
Servestae, 1707**

urn:nbn:de:gbv:45:1-3394



D. C. G. T.

H. C. G. T.

Tr. C. G. T.

Gesell. C. G. T.

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

827

Geschicht. IX.

B3


28

827



2841





686

878:

Joruma
1888.
et A. Schröder









HISTORIA COLLOQVII IEVERENSIS

INTER
LUTHERANOS ET REFORMATOS

Anno c^{lo} Is LXXVI. instituti,
EX IDONEIS MONUMENTIS ADORNATA.

Cui subjiciuntur

IPSIUS COLLOQUII ACTA,
CUM INCERTI AUCTORIS ANNOTATIONIBUS
nunc primum edita.

D. IO. HENR. FEUSTKINGIO,
SERENISS. PRINCIPP. SERVESTA-ANHALTINIS
à Sacris Primariis, & Consiliis Ecclesiasticis.

SERVESTÆ,
Apud HÆREDES FINCELIANOS,
Anno clo lccc viii.



HISTORIA
COLLOQUII
TERARRIIS
LATI
TERRANOSTERIOTATOS
EX IDONIS MONUMENTIS ADORNATA
EX BIBLIOTHECA
OLDENBURGENSI.
CUM LACERTA MORTORIS ANNIVERSARIA
HINC PENTIUS edita

LIBRO HENZELIENSIS
SERVANS PRINCIPI SERENESTA ANNIVERSARI
SOCIIS PINTORIS & CONYLLIIS ECCELESTICIS.



SERENISSIMIS
PRINCIPIBUS
SERVESTA
ANHALTINIS,
TERRARUM JEVERENSIMUM
IN
OSTRINGIA;
RUSTRINGIA
ET WANGERLANDIA
PRINCIPIBUS
DYNASTIS,
PRINCIPIBUS SUIS AC DOMINIS
LONGE CLEMENTISSIMIS,
PRÆSENTEM
DE REBUS SACRIS JEVERENSIBUS
COMMENTARIUM LIBRUM,
EX VETERI ROMANORUM FORMULA,
DAT, DICAT, ET CONSEGRAT:
PRÆCIPUE VERO
ILLARUM REGIONUM PRINCIPI HÆREDI,



SERENISSIMO, ET AUGUSTISSIMI NOMINIS
PRINCIPI, AC DOMINO,
D O M I N O,
I O H A N N I
A U G U S T O,
ANHALTINORUM
P R I N C I P I,
SAXONUM, ANGRIVARIENSUM ET
GVESTPHALORUM
D U C I,
A S C A N I E N S I U M
C O M I T I,
SERVESTANORUM ET BERNBURGENSIUM
NEC NON
JEVERENSUM ET KNIPHUSANORUM
D Y N A S T Æ,
PRINCIPI AUGUSTO, AD MAXIMA
QVÆVIS NATO.



SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME!



Avebis pietati meæ, AUGUSTISSIME PRINCEPS, et, quam Augusto Tuo nomine, de rebus sacris Jeverensibus, inscribo opellam, sereno ac hilari, Tibiq; proprio vultu, admittes. Hæc enim Serenitati Tuæ omni jure debetur, quum Majorum Tuorum, ex Comitibus Oldenburgensibus, memoriam, præclare renovet: præcipue vero, Johannis, augusti Herois consilia, factaque omnia illustreret, ejusque in ecclesiam, & provinciam Jeverensem, beneficia ac merita, quæ certe eximia sunt & admiranda, recenseat, & omnium virtutum commemorationem, veluti in tabula quadam, complectatur atque sistat. Tulit familia Oldenburgensis maximos Reges, ac immortalis gloriae Principes, & sapientia, & justitia, & fortitudinis laude accumulatos. Sed, si recte judicamus, consiliique calculos exponimus, pietate, consilio & sapientia, optimos quosque, Johannes aquavit, Princeps, magnitudine rerum gestarum, ita clarus & concelebratus, ut omnibus illis virtutibus paucos pares, multos inferiores, nullos superiores habuerit. Erat ille vere, lumen quoddam, ac Heros suæ ætatis, & toga verendus, & sagò metuendus, in quem omnium oculi conjecti, conjuncrorumque animi defixierant: adeo inter magnates & clypeos terræ eo tempore eminiebat,

Et auctoritate, ceteris anteibat, & ceu Nestor quidam, suis
consilis dictisque, complurimos moderabatur! Sed ad eam
rem non armis, sed studio & impetu animi laudatissimo
usus est. Etenim, bellica laude suæ ætatis Principes, fa-
cile superavit, tamen ea non contentus, vitam sibi acer-
bam esse duxit, nisi Jeverensi Dynastiæ, cuius possessio à
Maria Wimmekenenſi erat scriptus, præclaram quandam
accessionem adjungeret, pacemque & concordiam, veluti
novus quidam Atlas, bumeris suis, in eandem importaret.
Maturo itaque consilio, dissensiones præcavere, & in terris
Jeverenibus, certamina tollere, sopire rixas, & distractio-
nes abolere, conatus est, & ut purior cœtus pacatum, tran-
quillum questatum haberet, omni studio allaboravit. Ex-
arserat semel apud Jeverenses dissidium Sacramentari-
um, quod quandoque suppressum non nihil, non multo post
tamen, iterum erupit, & ecclesiam affixit, disturbavit ac
laceravit. Tentabant ac persequebantur omnes vias e-
ruditi, quibus hoc pestiferum incendium restingvere pos-
sent, sed quo laborabant acrius, eo malum serpebat latius,
& totam fere Ostringiam, Rüstringiam & Wangerlandiam
pervagabatur. Plus tamen proficiebat illustrissimus Ca-
mes Johannes, qui, indicto colloquio Jeverensi, tantum effe-
cit, ut dissidia tollerentur, & in concordiam salutarem a-
nni distracti reducerentur. Tanta enim erat in augu-
sto Heroe excellitas animi, ut, quod alii, non sine summo pe-
riculo, se facere posse arbitrarentur, id ille, propitio Numi-
ne, comiteque industria, prudentia & virtute suscepit,
trans-



[]

transfegerit & confecerit. At quanquam hæc magna fuerunt in Johanne, augusto illo, eoque primo, ex Comitibus Oldenburgenib[us], Jeverensium Dynasta, vix tamen majus quicquam est, quam quod Te, AUGUSTISSIME PRINCEPS JOHANNES AUGUSTE, Principem Hæredem, tam provinciæ Jeverensis, quam omnis virtutis, sapientiæ & eruditionis, post se reliquit. Is enim Tu es, quem non tantum illustris à Johanne, augusto Oldenburgenium Comite, per sanguinis tubulos deducta virtus condecorat, sed ex cuius pectore, tanquam ex fonte augusto, divina quoque humanaque sapientia, & Principe, augusto loco, & ad res augustas prognato, digna dimanat, unde & possessionem avitæ & augustæ laudis, ex merito, & jure quodam occupasti. Quod tamen de Te in præsens parce admodū scribo, & timide commemoro, quod & pudor Tuus generosus, laudes meas respuat, & ego, timiditate quadam summissa, ab iis persequendis, represso modestiæ vultu, refugiā. Id tamen dissimulare neque possum, neque debeo, virtutum & ornamenti orum Tuorum adspectu, ita me semper incensum esse, ut de illis præclaris, summa & augusta, & Anhaltinis & Jeverensis Tuis pollicear. Atque ut Johannis, augusti Comitis fama sapientiæ, undique ad se allexit Theologos, & eruditæ pietatis viros: Sic virtutis ac doctrinæ Tuae celeritas & meā tenuitatē invitavit, ut inscribendam augusto Tuo nomini duxerim, hanc colloquii Jeverensis enarrationē. Concepta illa est in Serenisimi Parentis Tui solo, crevit in illius urbe Principali; cui itaque exponenda, nisi illi Soli, vel ejusdem



[]

dem Filio Hæredi, qui & patrias terras illustrat, & ad gubernandas illas, immensum suum animum disponit, & nihil nisi digna Augusto Principe meditatur. Poterunt alii, quorum in generatione aurum vel argentum miscere voluerunt superi, offerre aliquid limatus: ego vero, cui religionis nostræ veritas præstat auro & argento, nihil sincerius. Accipe igitur, SERENISSIME PRINCEPS, quod demisse offero, & obedienter trado, monumentum Jeverense, sereno vultu, & indulgentissima Tua dextera dignare, eique angulum quendam, aut si mavis, qualescumque latebras, in nova Tua Bibliotheca indulge, & ita habe, me quidem soluisse, quod debui, sed adhuc debere tamen omne, quod solvi. Sic in religione votorum desino & conquiesco. Deumque, familiæ Tuæ statorem, qua possum animi pietate, precor, ut Jeveram Tuam, quā cum Johanne Oldenburghensi amas & insinu forces, contra ancipites casus, & dubias rerum vices, temporumque injurias & vicissitudines muniat, & firmissimis semper præsidiiis tueatur & defendat, Teque Ipsum, cum Serenissima Tua Conjuge FRIDERICA, christianissima illa Heroina, sospitem & florentem conservet, & perpetua omnium rerum felicitate augeat, & vita pariter diuturna & stabili coronet. Hoc meorum caput est votorum, hæc summa desideriorum omnium, hæc ratio & regula sanctissimorum obsecrationum mearum. Servestæ Anhaltinorum, Mense Decembri, amore reparata & salutis & Icc VII.

CELSISSIONÆ TUÆ SERENITATI

devotissimus
JO. HENR. FEUSTKINGIUS



D. Jo. HENRICI FEUSTKINGII,
^{DE}
COLLOQUIO
JEVERENSI,
INTER
LUTHERANOS ET REFORMATOS
ANNO 1676.
INSTITUTO,
SCHEDIASMA
HISTORICO-THEOLOGICUM.



D. Joh. Henrici Faustini
de
COLLOQUIO
LEADERISI
INTRODUCTORIUS ET TITULUS
ANNALIS D. V. LXXXV.
OTITIS
SOCIEDADIS
HISTORICO-THYLOGICUM





PRO O E M I U M.

QUUM exprimendum essem daturus Chalcographo Colloquium, inter Lutheranos & Reformatos, apud Frisiones, Jeveræ institutum, venit mihi in mentem, facturum me operæ pretium, si aliquid prænarrarem. Per molestem vero, atque gravem laborem subii in exquirendis, comportandis, atque concinmandis iis, quæ ad cognoscendam colloquii istius historiam facere videntur. Etenim omnes, qui controversias fidei data opera evoluerunt, aut de conciliis, synodis, colloquiis & publicis congressibus scripta adornarunt, profundo silentio eandem prætereunt, aut, quæ enarrant, paucis verbis absolvunt: nimirum Jeveræ, jussu Comitis Oldenburgici, Anno cœl. LXXVII. fuisse habitum colloquium de re sacramentaria præcipue. Solus Hamelmannus, acerrimi ingenii, & diffusæ lectionis Theologus, sed qui habitu Historici pleraque conscripsit, relictis duobus de rebus Oldenburgicis commentariis, res gestas in hoc negotio tangit, & brevi quodam, ac veluti compendiario itinere commonstrat, nec parvas concertationis istius reliquias conservat: gaudeoque merito, talem tunc extitisse Virum, qui non ma-

gis Oldenburgenses & Delmenhorstenses, quam Jeve-
renses res, actaque, literis mandaverit, & ingenii bonitate
usuque, plus consecutus fuerit, quam alii, præsertim ævo
ipsius, arte curaque consequi potuerunt. Cum Hamelman-
no, parem industriae laudem consecutus est Johannes
VVigandus, Episcopus Pomezaniensis, cuius imperterriti
Viri cum omnia ingenii monumenta posteriorum fama me-
moriaque digna sunt: tum illud præcipue, quod de Sacra-
mentariismo consignavit. In eo enim ut multa alia, ita
etiam Synodi Jeverensis acta commendat, & in omnium
legentium conspectu ponit, sed, quæ ad expositionem hujus
collationis pertinent, plane negligit, nec ejus causas expo-
nit, nec formam & circumstantias declarat. Eadem quo-
que in iis desidero, quæ de hoc negotio Nicolaus Selne-
cerus, Theologus tanto severior, quanto cordatior, anno
clo l*o* LXXVII. Lipsiae promulgavit: & confiteor, esse ob-
scuram ubique hujus argumenti historiam, atque tam ne-
gligenter traditam, ut ne collocutores quidem nominentur,
aut idonee describantur. In tanta rerum penuria, quo
me verterem, ignoravi. Evidem sperabam, fore, ut ex
tabulariis Jeverensibus ea acciperem commentaria &
diaria, aut alia instrumenta, quibus defectum supplerem,
aut egestati meæ subvenirem. Neque erat, cur facile de-
sperarem. Commorabatur enim, fati cuiusdam benigni-
tate apud Jeverenses, cum inæstimabili suo Principe,
eius-



ejusdem Cancellarius, & Minister status intimus, Joh. Ernestus de Schönleben, *Vir antiquo natalium splendore, doctrinæ copia, religiosa pietate, quæ genti huic quasi propria est, & consiliorum gravitate æque illustris.* Hic, ut studia nostra mirifice fovet & tuetur, ita inter infinita, quæ eum Feveræ circumstabant, publica negotia, ad archivum Herisui se recepit, & quæ inusitata Viri benevolentia fuit, in excutiendis istis scriniis, nulli tempori, ac operæ nulli pepercit, saltem ut idonea præsidia ex illis reportarem. Sed nihil horum potuit invenire, aut explorare industria Schönlebiana. Quamobrem, ad fragmenta reversus, quæ hinc inde dispersa observaveram, collegi, & ex iis sequentem enarrationem adornarvi: quæ alii tradiderunt, ea meo quasi testimonio munivi, & quæ reticuerunt, pertinaci qua potui diligentia, erui & explica vi, neque inimicorum invidiam veritus, nec amicorum gratiam aucupatus. Evidem non semel cogitavi, vel toto hoc scriptionis labore supersedere rectissimum, vel certe nonnulla, quæ in nostro scripto de religionis causa enarrantur, reticuisse me, & pressisse silentio, melius esse; ut & nullum in discrimen cum veritatis Lutheranæ hostibus veniremus, & cum iis tantum, quos constaret invictam veritatem, & non fucatam pietatem diligere & magnificere, hæc differerentur, & recordando quasi ventilarentur. Sed vicit cupiditas mea proferendi in medium & lucem omnia, cum præsertim indies eorum

numerus, ex quibus historiam condidi, minueretur, & bona, vel non mala spes esset, compluribus non modo jucundam, sed utilem quoque fore lectionem scripti istius. Idcirco, propter aliorum vel odium, vel improbitatem, aut contradicendi pruritum hos aut voluptate, aut fructu cognitionis fraudandos esse, non putavimus. Ceterum, exemplar actorum quod subjunxi, eruditii cuiusdam Viri gratia, qua me complectitur & fovet, suppeditavit. Quis autem fuerit incertus ille autor, qui breves, sed non proletarias in colloquium annotationes conscripsit, iisdemque testamentum Christi, contra Japetum, Quantum & Meppelensi propugnavit, mihi certo non constat. Jeverensem illum fuisse, qui tempore habiti colloquii vixit, aut rerum Jeverensium non ignarum, manifestum est ex illis, quæ manu allevit. Et sunt nonnulla, quæ faciunt, ut suspicer, nec praeter rationem, fuisse eundem Gerhardum Honnichium, Ecclesiæ Jeverensis Antistitem, Virum longe doctissimum, qui Hamelmanni socius, arduo huic fidei negotio adfuit, ac sacris studiis fundandis tuendisque, fortunas vitamque suam impendit. Quomodo autem Hamelmannus, ecclesiæ bac disceptatione profuerit, & veluti alter quidam Thaddæus, pro fide semel tradita decertaverit, meum non est dicere: aliorum sit statuere & judicare. Mibi hoc unum serena conscientia profiteri licet, nihil hodie a Reformatis in causa sacramentaria nobis opponi, aut a Samuele Strimesio interpolari, quod ille non represserit & debellarit. Qui fidem non habet dictis, Meppelensem & Quantum

cum



cum Strimesio conferat, & eandem semper ludi fabulam, deprehendet, permutatis tantum personis. Sed de his in sequentibus agam, multis id a me studiose efflagitantibus, qui compendiosa lectione Historiam Colloquii Feverensis cognoscere properabant. Quorum ego voluntatem secutus, pri-
mum de colloquii Autore: deinde vero, de occasione, de lo-
co, in quo illud institutum: porro, de collocutoribus, proces-
su & causis, disceptationem ejus suadentibus, imo urgenti-
bus: ac tandem, de ejusdem fructu, non ex recepta magis consuetudine, quam ipsius rei necessitate, præfandum
esse magnopere censeo. Annuat æternum, præpotensque
Numen, & successus instituti exoptatos clementer
largiatur.



CAP.

De

COLLOQUII JEVERENSIS

A U T O R E,

J O H A N N E XVI.

COMITE OLDENBURGICO - DELMENHORSTENSI.

§. I.

Quæ, permutata rerum facie, CAROLI WILHELMI, Anhaltinorum Principis, pii & magnanimi, dominatum agnoscit dynastia Jeverensis, illa, temporibus priscis, Frisionum Rurstringiæ sedes & clientela salutabatur. Sed Dynastæ & Capitanei titulum ac honorem, communi populi suffragio, primus in has terras intulit Edo VVimmenkensis, qui fortitudinis documenta eximia in Ostringia & VVangerlandia dederat, ac imperii faciem ita verterat atque immutaverat, ut nullum Frisiaci dominatus vestigium retineret. Post eum nominatur Edo, cognomine Junior, & Christophorus VVimmenkensis, Heros omnibus virtutibus bellicis excellens: qui cum sine liberis masculis, anno c^o I^o XVII. è vita discesserat, ad stolatum Dynastam, sororem Virginem Mariam, tandem translata est insignis illa dynastia, quam Chytraeus Ducatum s^epe nominat, sed VVinkelmannus, eam dynastia superiorem, & Comitatui æqualem, laudat atque extollit.

§. II. Acceptum refertur huic Viragini Mariæ, quicquid fere humanitatis, elegantiæ & pietatis, in hasce oras im-

importatum est. Nam & vicos & tempла, scholasque ac judicia constituit & restauravit, atque abjectis ecclesiæ Romanæ idolis, religionis Christianæ fundamenta peregredia posuit, ac homines fanaticos, Anabaptistas Belgas, & permultos Zwinglianos, ad verum Dei cultum traduxit, adeoque optima ratione, & piis virtutibus iter ad gloriam est ingressa. Formulam interreligionis Pontificiæ, cum Carolus V. promulgasset, atque essent, qui eam Jeverensibus obtrudere vellent, Maria, partem, quam elegerat, meliorem, veritatem nimirum semel agnitam, persancte custodivit, & normam judicii evangelici nullam aliam admittendam censuit, præter scripta Prophetica, Apostolica, & Augustanam confessionem, quæ in luce clarissima, frequente senatu imperii, ab ipsis Principibus & civitatibus veræ religionis A. cl. I. XXX exhibita erat & recitata. Hujus doctrinam & ritus, approbantibus bonis omnibus, in omnes ecclesias dioeceseos invexit: contra, quicquid reliquum fuit ex religione Mariana Romanensem, id penitus abolevit Jeverensium Maria, missaque & aliis superstitionis ceremoniis sive abusibus, universæ ditiosæ suæ subditis interdixit. Quid? quod sacra, à divo Lutherò emendata, semper conservavit, & pro sua erga patriam charitate, peculiari sanctione providit, ne novis corruptelis, post fata ultima, depravarentur. Fluvius Jada, quin ipse Oceanus Germanicus, loquerentur pietatem Dominæ, si possent loqui. Omnia au-

b

de-

debat propter illibatam fidem Virgo illibata, omnia pericula patriæ causa adibat patriæ mater. Sed nusquam tuta fides erat, ne in patria quidem. Frisiorum Comites vicinos habuit, sed non amicos. A multis subditis contemtus, à Comite Edzardo odia, ab aliis pericula metuendum fuit. Sed non fregerunt ista virilem animum virginis, sed erexerunt magis. Nam & incolarum Jeverensium jura contra Frisios Comites, summa constantia tutata est, & aliorum injurias generoso contemtu irrisit, & pectore vere martio conculcavit.

§. III. Anno cl̄o l̄o LXXV, cum quadraginta amplius annos patrium ducatum sub Burgundiæ aulæ patrocinio rexisset, mortua est Maria, septuagenaria major, devenitque ditio Jeverensis ad domum Oldenburgo-Delmenhorstensem, cui biennio ante mortem, A. cl̄o l̄o LXXIII, terras istas supremis tabulis jam tum commendaverat. Primus autem, qui irriguæ illius dynastiæ accessione nova, Comitatum Oldenburgensem adauxit, Comes Johannes erat, divæ Mariæ Confobrinus. Simulac enim illa in vivis esse desit, jus dominiumque supremum huic Jeveræ obtigit. Neque enim Edzardo, Orientalis Frisiæ Comiti licuit, Jeveram, ex Mariæ voluntate, & Procerum consensu Comiti Johanni concessam & traditam, suo arbitratu, & callidis artibus, adimere legitimo hæredi, & transferre aliorum. Præterquam enim, quod id non erat in potestate Edzardi, Johannes quoque, summotis aliis
hæ-



hæredibus & agnatis, jure proximus extitit, & voluntate suffragioque Virginis, ad quam ea res pertinuit, Jeverenses terras reportavit, illasque Oldenburgensi Comitatui addidit, & hinc non ad alios, quam ad legitimos successores, nominatim ad Oldenburgenses Comites, & his extinctis, ad Principes Servestanos transit, quibus Gallorum & Danorum motus fraudi esse non potuerunt, multo minus prohibuerunt, quin jure suo uteretur Johannis Anhaltini filius CAROLUS WILHELMUS, Herus meus indulgentissimus, regnique ad se delati successiōnem & partem juste repeteret & vindicaret.

§. IV. Antiquissima autem est illa stirps Oldenburgica, ex qua Johannes prognatus, atque divino consilio contigit, ut virtutes ejus toti orbi notæ adhuc sint ac testatae. Id vero alias constat, quod tanta hujus gentis amplitudo & incrementa fuerint, ut maxima ex parte Europæ Principes cognatione attigerit, necessitudine que suæ jam inde antiquitus innexos habuerit. Ex stirpe Witekindi Magni Oldenburgenses Comites descendunt, ex his vero prodierunt multi præstantes virtute & rerum gestarum gloria Heroes, Reges, Principes & Comites, laude mea majores, & late propagatis familiis hodienum clari. Inhabitarunt illi arcem Oldenburgum, sive Altenpurgum, ædificari cœptam à Walberto, Angriuariae, Nordalbingiae & Westphaliæ Duce. Hæc, uti Dresserus censet, in potestate Comitum Oldenburgorum fuit, usque ad Ottonem Comitem, qui cum

fratre Christiano ditionem divisit, & in sua parte hæreditaria, Hoiensi Comitatui, & Bremensi civitati vicina, arcem condidit ad rivum Delmæ, cui Delmenhorsti nomen indidit Anno Cl̄cc XLVII. Inde Comites Oldenburgenses & Delmenhorstenses nomen habent. Tametsi enim distincti Comitatus fuerunt, propter distinctos, uti lego, agnatos: tamen hæres utriusque comitatus tandem factus est Dietericus fortunatus, in cuius familia usque ad tempora Antonii Güntheri permansit, qui pari cum majoribus prudentia & felicitate ditiones hæreditarias administravit. Hoc vero extincto, quum masculo hærede legitimo stirps Oldenburgensis destitueretur, Comitatum occupavit Danus, ex Oldenburgensi stemmate propagatus. Sed gubernationem Dynastiæ Jeverensis, immortalis gloriæ Princeps Johannes Anhaltinus, ex Magdalena Oldenburgensi natus, sibi vindicavit, suprema voluntate Avunculi Antonii Güntheri Jeveræ possessor scriptus. Plura desino hic commemorare, ac, quod pietatis meæ caput est, & Anhaltinatui Cisalbino, & Dynastiæ Jeyerensi, quam *divine benedictionis quoddam compendium* dico, pacem & concordiam, bona inter mortales magna, salva semper & integra servari opto, & à summo Numinne anxie exspecto.

§. V. In primis, digna est memoria & laude sempiterna Oldenburgensium familia, propter Comitem JOHANNEM, cujus in ecclesiam studia & merita, ac industria in imperio Romano, rebus compluribus illuxit.

Na-



Natus ille est A. c^{lo} l^o XL Patre Antonio, & matre Sophia Saxonica, qui filium probe diligenterque à primis annis educandum instituendumque curaverunt. Nec diffiteri possum, Johannis primam ætatem, deditam disciplinis fuisse, iisque artibus, quibus generosi animi ad veræ religionis scientiam, & civilem rerum cognitionem atque usum instruuntur. Etsi enim rem publicam, ab Antonio Parente bene præclareque institutam, ac legibus armisque communitam, accepit; tamen ad tuenda parta bona non minus, quam ad paranda, consilio & industria opus est. Proinde ab Ephoro suo *Luca Backmeistero*, Theologo postea Rostochiensi, doctrina, Principe digna, liberaliter institutus, & literis non vulgaribus, sed interioribus & reconditis perpolitus est. Anno c^{lo} l^o LIX cum Friderico, electo Daniæ Rege, & Augusto, Saxonum Electore, Comitia Francfurtensia, quæ à Rege Ferdinando indicta erant, adiit: ubi consilia electionis, & multa acta imperii spectavit, & cum itineris sui sociis in admiratione omni populo, cunctisque ordinibus, fuit. Salutavit quoque elegantissimam Misniæ urbem, & Electoralem sedem Dresenam, & in ea summorum hominum voluntates sibi devinxit, talisque est habitus, ut non tantum, in ludo Martis & Palæstra, opera ejus magni esset, sed jam illa quoque ætate, cuius tempus multi patiuntur obscurum prorsusque inglorium latere, aperto bello idoneus judicaretur. Adsunt etiam, quæ dedit, mira fortitudinis exempla. Etenim non tantū contra Gothanos in Thuringia, anno c^{lo} l^o LXVII arma induit, &

magnum Principem, qualis fuerat tum in Saxonia Augustus, fortiter adjuvit, sed & Danorum Friderico, quem fratris loco habebat, A. c. 1515 LXIII. militavit, ac contra Ericum XIV. copias duxit, neque una vice in Gothia meridionali apud Helmostadienses cum hoste concertavit. Et ingentem certe gloriæ cumulum, comite fortuna, illa tempestate est consecutus. Tanta enim hostium jactura facta est, ut maxima pars fuerit desiderata, & memorabilis tunc fuit Johannis virtus, qui documenta Ducis magnanimi & fortis eo tempore dedidit, & Sveonibus terrori esse coepit.

§. VI. Nec vero in armis præstantior, quam in toga fuit. Nam & ædificiis, & suburbii, & novis jactis aggeribus terras exornavit, honestæ disciplinæ consuluit, concordiæ causa nihil non egit, & eo in suos subditos fuit animo, eaq; pietate, ut, quicquid potuit ad provincias ornandas & ditandas conferre, in id summa opere incumbueret. Præterea, superiores coluit, atque agnatos, præcipue Henricum, Præfulem Bremensem, & Güntherum, Johannem Güntherum, Wilhelmum, & Albrechtum, Comites Swartzburgenses, pernultum amavit, semina dissensionum inter eos sustulit, bella soppivit, honestas leges suis præscripsit, ac incolarū, Wangeriensium præcipue, dissolutos mores correxit, iudicia ubique constituit, & multis laboribus, magnisque impensis, salutem publicam mari terraque custodivit, quin & acerrimus juris defensor, reique publicæ custos &



& conservator diligentissimus extitit, curæque hujus testificatione animum, amoris plenum, omnium temporum statu, &, rebus etiam bello inclinatis, populo suæ ditionis sat abunde luculenterque declaravit.

§. VII. Ad actiones sacras venio, in quibus recentis tanto ero brevior, quanto Johannis religio omnibus est notior. Dedit enim pietatis argumenta ubique, dum afflictis solatio, & adjumento omnibus fuit. In administratione autem luxum omnem evitavit, quodque aliis præcepit, suo exemplo in semetipso præbuit. In ordinandis ecclesiæ rebus, ipse permulta sua manu confecit, & nihil prætermisit, quod ad verum Dei cultum pertineret. Quæ in templis audiverat, indefeso linguae famulatu, & pio mentis obsequio, semper domi repetebat, & in summis negotiis nonnullas horas scripturarum lectioni tribuebat. Anno 1515 LXXIV. scholam Oldenburgensem restauravit, eamque liberalibus studiis, eruditis moderatoribus, & redditibus auctam exornavit, ut nulla schola Germaniæ fuerit inferior. Fecit autem illud consilio summo, & zelo quodam pio & salutari, ut officina cultus divinioris & sapientiæ esset, in qua fundamenta & firmamenta doctrinæ de Deo, artium & linguarum traderentur & propagarentur, & plus præsidii & roboris haberet ea religio, quæ auspiciis divi nostri Lutheri perpurgata, innixa est æterno Dei verbo, perpetuaque vetustatis consensione suffulta. Hanc enim Johannes unice amavit, &

con-



constanter, summaque gravitate est tutatus, hujus gratia Bibliothecas condidit, officinas typographicas instituit, & varia scripta, ascetica præsertim, imprimi curavit, ut subditis innotescerent, adeoque res sacras mirum in modum auxit, auctas conservavit, conservatas ad posteros feliciter transmisit.

§. VIII. Cum vero domus Oldenburgensis à Johanne Comite hoc sancto præsidio munita firmataque esset, tum paucis post annis, infestata illa est ab hominibus fanaticis, salusque ecclesiæ Jeverensis periclitari cœpit. Etenim, qui post varias turbas in provinciis Rhenanis, in Frisiā devenerant Anabaptistæ, in dynastia etiam Jeverana nidulari occöperunt, & horrenda flagitia, specie cuiusdam effrenati zeli, & mandati divini, defensitarentur. De quibus suppressis, cum longe & late grasperantur, Johannes pias quoque suscepit cogitationes, indixitque colloquium, A. cl^o I^o LXXVI sub præsidio Burchardi Steinbergii, Vice-Comitis Oldenburgico-Jeverensis, cum Anabaptistis, undique publica fide convocatis, habendum. Comparuerunt quatuor obstinati idiotæ, homines literarum rudes, sed qui intollerabili audacia scripturæ oracula corradebant, ex iis centrem consarcinabant, & depravatis explicationibus ceu fidiculis ad deliria sua detorquebant. His opponebat Comes unicum Theologum, sed omnium matæologorum malleum, Hermannum Hamelmannum, qui veluti Hercules quidam novus, nō contra duos, sed quatuor

Anta-



Antagonistas masculine depugnavit. Sed obstinati hominum animi, cum nullis argumentis potuerint ad saniores mentem reduci, soluto colloquio, imperio Magistratus supremi, Jevera & adjacenti regione discedere jussi sunt. Ex eo tempore Jeverensis dynastia Anabaptistarum furores non amplius, aut rariuscule, est experta.

§. IX. Hic ego non possum non quorundam extreamam impietatem ex animo detestari, qui, cum aura optatiore fruuntur, autores suasoresque sunt Principibus, ut neminem quovis modo ad certam quandam religionem adstringant, sed conscientiarum libertatem suis subditis liberrimam permittant. Alii, cum Joh. Josepho Wincklero, præpostero illo Magdeburgensium Conciliatore, quemlibet Principem in sua regione PAPAM esse, deblaterant, saltem ut cuilibet religioni introducendæ, quæ Magistratui ad palatum est, aut in qua rationes dominatus sui fundari sentit, occasionem subministrent. At vero, quid hoc est aliud, quam hac persuasione velle Principes præcipua suæ gloriæ & dignitatis laude spoliare? quid in Principibus manebit reliquum, quod eorum autoritatem commendet, si omnium, quantumvis discrepantium opinionum liberam professionem subditis concedant? Imperantibus cura esse debet, ut Dominum Deum suum timeant, & verba, & ceremonias ejus sancte conservent, Deuter. XVII. Hoc vero fieri plane non potest, quando cives quodlibet-

beticis, non vero idoneis & rectis de Deo opinionibus imbuuntur. Alia mens erat Comiti Oldenburgenſi, qui unius veræ religionis cura vel maxime delectatus, Ezechiæ, Josiæ, aliorumque Regum mores atque ingenium referebat, nec permittebat, ut aliis, quam in lego divina præscriptus cultus, Deo exhiberetur. Hinc persæpe professus est, se Lutheranæ veritatis amatorem esse, & velle, ut eosdem etiam ſe proſiterentur ſubditi: ſi qui vero id facere recuſarent, aliter ſe facere non poſſe dixit, quam ut eos, quo unicuique liberet, emigrare patiatur. Inter multas ſententias præcipuas & memorabiles, in ore & animo etiam hoc habuit dictum. *Malo terris meis privari, & exilii ærumnas extra terras meas perferre, quam veram Evangelii doctrinam, à Luthero perpurgatam, in terris meis abjicere, aut in officio, Deo & Ecclesiæ ejus debito, claudicare.* Tandem & hoc usurpavit: qui leves ſunt in negotio veræ religionis, atque illius profiſſione, aut cum calendario religionem permutant, ſimiles ſunt mari meo Wangerogenſi, quod modo in hanc, modo in contrariam partem curſum ſuum mutat. O felicem vereque beatam eccleſiam, & rem publicam, cui tales Principes & Magistratus divina largitur clemencia, qui ſibi cauent à ministerio eorum, quibus perinde est, quam religionem profiteantur. Quo nomine comitatui Oldenburgenſi, & dynastiæ Jeveranæ, ego ex intimis animi præcordiis gratulor, quod, singulari Dei bonitate, in Johanne XVI Comitem habuerit, sub cuius



jus patrocinii, in lucem producta veritas, contra tenebrarum potestatem constanter asserta & propugnata: cujusque paterna cura, ecclesia Christi Jeverensis & adversus Zwinglii depravationes, & Anabaptistarum furores præservata est atque defensa.

§. X. In talis sanctioris vitæ spacio, quum inchoasset annum, quem climactericum magnum nonnulli vocant, post graves labores, quos patriæ causa sustinuit, in lectulum depositus, nonnisi sacra animo pervoluit. Dolebat peccata sua, & minima quidem delicta intra se prosequebatur planctu. Neque enim Centaurorum instar vixit Comes hic piissimus, qui quævis admissa facinora vasto hiatu devorant, & amplissimo conscientiæ rictu quælibet flagitia deglutiunt, sed minutissima etiam peccata, peccata in deliciis, peccata quotidianæ incurSIONIS ita deplorabat, quasi gravissimorum criminum reus esset. Ceterum, non domum ille respiciebat, quæ amissura erat Dominum gratissimum: non uxorem Elisabetham Schwartzburgicam, quæ deploratura erat maritum jucundissimum: non liberos, Antonium Güntherum, Annam Sophiam, Mariam Elisabetham, Catharinam, & Magdalenam Anhaltinam, qui desideraturi erant exoptatissimum Parentem: sed unum Christum, quem sanctissime coluerat, unice animo fixo amplexabatur, & sublati manibus in auxilium vocabat, qui vocantem exaudiit, amplexantem sustinuit, spiritumque manibus suis commendatum A. cl. Ioc III

placidissime sustulit, adeoque felicitatem iſe speratam est consecutus. Et hæc fuerunt, quæ breviter commemoranda judicavimus de Colloquii Jeverensis autore, qui ita certe vixit, ut magnitudine animi & rerum gestarum imperium, sed pietate & cura religionis ecclesiam impleverit: ita vero mortuus est, ut triste desiderium pietatis suæ bonis omnibus & posteris reliquerit.

C A P. II.

^{De}
**OCCASIONE & CAUSA
 INSTITUTI APUD JEVERENSES
 COLLOQUII.**

§. I.

Occasiones & colloquii causas expositurus, non repetam initium ab ovo, quod ajunt, videlicet à commemoratione originis contentionum inter Lutheranos & Reformatos, sed præsentis instituti causas explicabo. Qui curiositatem optimi Comitis in hoc negotio redarguunt, ipsi maxime videntur hoc loco accusandi. Ea certe fuit Divi Herois pietas in Deum, & in Dei ministros, divinæque legis interpretes propensio, ea gravitas, severitas, is in religionem orthodoxam zelus, ut curiositatis crimen piissimo Comiti impingi minime debeat aut possit. Non latuit sapientissimum Johannem, quantæ molis & momenti rem, expositam omnium judiciis, tanta in primis ex Belgis ingeniiorum varietate & licentia, susciperet: denique, non abs-



absque magna molestia hoc ipsum perfici posse, optime perspectum habuit. Hæc autem omnia vicit veritatis zelus, atque erga Jeverenses, quos Zwingiani, & suspecti quidam fratres infestabant, sincerus amor: post habitis igitur omnibus, huic rei unice vacare voluit Comes, ut capitales errores & consilia Crypto-Calvinianorum hoc actu detergerentur, atque ad amplificanda ecclesiæ Jeverensis pomœria quasi via quædam sterneatur.

§. II. Fuit ex Anabaptistarum colluvie homo quidam obscurus, Menno Eibenstochius, qui Johannem Comitem, cuius autoritate actus hic Jeveræ fuit institutus, de religionis suæ certitudine & veritate dubitasse, eoque fine colloquium hoc indictum, ut scrupulus animo eximeretur, secum demurmuravit. Quæ certe calumnia est Anabaptistica, & summa Alastoris in Heroem injurya. Voluit pius Comes in hoc solenni actu ordinationis suæ sacræ exponi fundamenta, & quid à Pastoribus Calvinianis in ea desiderari posset, diligenter examinari. Deinde, etiam hoc spectavit, ut in tali congressu unum atque alterum, quem à vero religionis scopo aberrare judicabat, ad veræ religionis gremium adduceret, patefacto videlicet mendacio, & illustrata veritate. Quæ vero ista cavillandi libido est, quando doctrinæ coelestis illustrandæ gratia disputatio publice indicitur, id eo rapere, quasi is, cuius autoritate id sit, de religione dubitet? Anne hoc est tenedia bipenni omnes

occasiones congressuum & collationum de doctrina, in universum refecare.

§. III. Nunc, ut redeam ad propositum, veram colloquii causam commemorabo. Cum fanaticorum errores viderentur in ecclesiis Oldenburgenibus repressæ & hinc exterminatæ, & restarent dissidia quædam circa ritus, & externa ecclesiæ: cogitavit inly tus Comes de dissidiis istis, idonea ratione componendis. Et hac in re Constantini & Theodosii exemplum imitatus & secutus est, & sine dubio non tam humano affectu, quam Spiritus S. impulsu, negotium hoc in gloriam Dei, & veritatis propagationem, & in ecclesiarum & Scholarum, in terris Oldenburgenibus Augustanam Confessionem profitentibus, utilitatem, & salutarem & quietem concordiam, intrepide aggredi cœpit. Reigitur cum aliis deliberata, An. clo lɔ LXXIII. seriis votis requisitus est in arcem Oldenburgensem D. Nicolaus Selneccerus, invictus ille Theologorum Saxoniorum umbo, qui animose & strenue reliquiis sacramentariis restitit, & vetus fermentum expurgare studuit, non metuens invectivas, calumnias, vociferationes, & scorionum ictus atque morsus. Huic præstantissimo Viro, qui ob magna in ecclesiam merita, atque summam in rebus sacris eruditionem, Theologorum quidam Princeps salutabatur, expositus est animus, & pium studium, & desiderium Comitis, & consilium, quod semper sobrium & moderatum erat, ab ipso est petitum,
qui-



quibus rationibus dissidia propter ritus componi atque tolli, & quo modo salutaris concordia conservari, & ad posteros propagari, atque rituum harmonia introduci posset. Intellecta hac tam pia, tam necessaria, tam sancta, & ad seram usque, si quæ futura est, posteritatem merito celebranda voluntate incliti Herois: Selneccerus, & Deo & Comiti gratias egit, atque unicum medium, quo ad aliquam Concordiam perveniri posse censembebat, proposuit, quod erat, ut certæ leges ecclesiasticæ ferantur, & sacræ constitutiones promulgentur, quæ essent omnium rituum normæ & cynosuræ, & quibus singuli Ecclesiarum Pastores, & supernarum potestatum Antistites, uti Arnobius Theologos vocat, subscriberent.

§. IV. Consilio isti salutari pro religiosa pietate & incredibili zelo suo locum relicturus Johannes, non Selneccero tantum, generoso illi Christi athletæ, sed & Oldenburgensium & Jeverensium Theologo præcipuo Hermanno Hamelmanno, laborem conscribendi ejusmodi ordinationem, sive constitutionem sacram imponicuravit: in quo certe secutus est pios Reges & Principes, Josuam, Davidem, Salomonem, Hiskiam, Josiam, & alios permultos, qui de ritibus & officiis ecclesiasticis juxta verbum Dei provide constituerunt. Illi clementissimo Comitis mandato obsecuti, tanta fide & dexteritate OR DIN ATION E M ECCLESIASTICAM adornarunt, ut omni ulteriore censurā judicaretur, hodieque judicetur superior.

§. V.



§. V. Quum ergo liber ita esset adornatus, ut nihil amplius potuerit desiderari, petierunt singuli, ejusdem constitutionis sacræ subscriptiones. Et affirmare ausim, Antistites & Pastores ecclesiarum permultos egisse gratias Comiti Oldenburgico, quod ad subscriptionem admitterentur, non paucos quoque ultro obtulisse subscriptionis suæ voluntatē, quosdam etiam aliquo modo ægre moram tulisse, quod ad subscriptionem in aulam Oldenbürgensem non mature requirerentur. Atque hoc ideo referto, ut de mendaciis Conradi Quantii & Johannis Meppelensis constet, quibus rumor spargebatur, quasi coacti, aut ad minimum inviti, nonnulli subscripterint, sie würden nicht unterschrieben haben/ wenn sie nicht hätten unterschreiben müssen.

§. VI. Quo pacto autem ex his colloquium Jeveræ enatum fuerit, paucis enarrabo. Cum ita ecclesiæ Jeverenses esse dissipatas Anabaptistæ calumniarentur, ut nulla fere esset, cui cum altera conveniret, & vero Inclitus Comes videret, publicato libro ordinationis, omnes concertationes Oldenburgenses ita discussas, protritas, & explicatas esse, ut pristina pace & tranquillitate ecclesiæ frui possent: divino plane instinctu in eam cogitationem incidit, qua suscipere magis salutarem mortaliū nemo potuit, ut, ad quorundam Philoveianar & libidinem coercendam, in dynastia etiam Jeverensi thesauris iste ecclesiasticus recipereetur. Erant enim in his terris, quas hæreditario jure à piissima illa Heroina

V. 2

Ma-



Maria, divus noster Heros acceperat, homines summe fanatici, qui Vespertilionum instar, ecclesias Jeverenses circumvoltabant, nec minus recto pede ad veritatem Evangelii incedebant: erant, qui nostram doctrinam, omni pudore & metu projecto, multarum hæresium insimulabant, tamen Megalandri Lutheri autoritatem semper in ore tulerunt, & Augustanæ Confessionis salutarem doctrinam subinde creparunt, & nihil minus quam Lutheri martyres videri voluerunt: erant tandem in his oris, qui sub scriptis Alberti Hardenbergii, Bremensium Turbatoris, incautis animabus mera toxicæ propinabant, &, antiquatis orthodoxorum libris, nil nisi centones Calvini insidiose obtrudebant; quorum fraudes & insidiæ, quantumvis clandestinæ, ut detergerentur, & ecclesiæ Jeverenses ab Hardenbergii veneno præservarentur, JOHANNES, divino zelo incensus, conventum Jeveræ instituit, atque ordinatiōnem ecclesiasticam, ab Oldenburgenibus felici side-re receptam, à Theologis exteris quoque approbatam, Jeverensisbus etiam ad subscribendum proposuit, eandemque voluit esse *corpus doctrinae Jeverensis*, quod emi, & in omnibus ecclesiis reponi debuit in usum Ministrorum, ut eidem conformia docerent. *Qua in re illustris Comes, Selneccero judice, in epistola ad Henricum, Archiepiscopum Bremensem, officium omne laude dignum fecit, quod exemplo esse merito debet aliis, præsertim piis magistratibus, ut imitatione sancta &*

d

DEO



DEO grata, eradicari curent blasphemias & deliria, quæ, à manipulo Sacramentario & Anabaptistico, atque aliis impiis, in ipsius ecclesiæ Christi gremio & agro disseminata, opprimunt & suffocant sanctissimum semen verbi divini & Sacramentorum. Id quod pluribus pertractat præfatio libri Selnecceriani, de hypostatica naturarum in Christo unione, quæ eam ad rem est conferenda.

§. VII. Commemorabo autem integrum rerum gestarum seriem, qua, ad mandatum inlyti Comitis, a Ministris ecclesiarum Jeverensium petitæ sunt subscriptiones, judicium Lectori perbenevolo delegatus, utrum vel à justitia, vel ab æquitate deflexisse optimus Comes jure dici queat. Ceperunt autem illæ approbationes, anno cl. l. LXXVI. cum insequenti, hoc modo: Primum, nonnulla recitata sunt de consilio vere pio & Christiano, atque cura pro vulneratæ ecclesiæ salute, & salutari concordia perillustris Comitis Oldenburgici, volentis consulere & mederi his terris, contra Adversariorum insidias, & dissidia domestica. *Quibus contentionibus, & intestinis dissidiis, nisi occurratur, metuo, Johannes ab Halle dicebat, ne ecclesiæ Jeverenses, non Adversariorum crudelitate, sed nostris certaminibus evertantur.* Et certe, nisi DEUS optimi Comitis oculos mirabiliter aperuisset, veritas negata, dexteritas mutata, doctrina depravata, certitudo ademta, consolatio annihilata, securitas & petulantia plus quam Cyclopicæ horrendum in modum fuisset

con-



confirmata. Postea, de convocatione Pastorum quædam sunt commemorata, iisdemque mandatum est, ut Evangelicam veritatem secundum sanctam scripturam, & puriora corpora doctrinæ, quæ ecclesia, vel usus diuturnus approbavit, legendaque hactenus recepit, & in posterum recipiet, prædicent ac explarent, nec quicquam eis ex proprio sensu contrarium vel dissonum adjiciant, sed illis semper insistant, quæ ab ipsius sacri codicis verbis, rite ac sane ex Doctorum interpretationibus intellectis, non discordant. Tertio, de ipso ordinationis ecclesiasticæ libro dictum est, quod nihil in eo sit fucatum, nihil obscurum, nihil flexiloquum, aut ambiguum, sed simplicissima ecclesiarum nostrarum doctrina. Cujus subscriptione, si nihil aliud efficitur, tamen hoc summum esset, quod os obstrueretur adversariis, qui promulgabant, Jeverenses cum Jeverensibus pugnare, &, Cadmæorum fratrum instar, in propria viscera sœvire. His omnibus subjuncta est admonitio, ad omnes & singulos directa, ut unusquisque, suæ conscientiæ rationem habendo, nihil vel in gratiam vel alicujus odium faceret, nec dubia, & hæsitante conscientia librum ordinationis suffragio suo comprobaret, sed, si forte scrupuli in animo hærerent, eos aperte, & sine omni metu patefaceret. Ex quibus in proclivi est, nemini, præter voluntatem suam, obtrusum illud scriptum, sed Mystarum liberrimis judiciis, quid in eo vel probarent, vel rejicerent, Jeveræ esse subjectum.

§. IIX. Hæc, cum a Cancellario D. Johanne ab Halle, summæ & autoritatis, & non fucatæ pietatis Viro, publice recitata essent, nemo bonus quicquam in eo desideravit, sed cordati omnes pro beneficio tanto, quo majus in ecclesiam conferri non posset, DEO gratias egerunt, ac librum ordinationis, sine omni hæsitatione, manu menteque approbarunt, non additis, nec reservatis ullis conditionibus. Alii ignari, vel quid scriptum esset in libro, vel an recte omnia scripta essent, causati nescio quas causas, cum JOHANNE HENRICO JAPETO, Schortensium Pastore, subscribere recusabant, postea tamen, perbene ab Hamelmanno informati, subscripterunt, pacemque ecclesiæ, cui uni hæc opera dicata erat, omnibus modis promoverunt. Sed, ut optima quæ serviunt ecclesiæ ædificationi, molimina, nunquam omnibus placuere, ita etiam subscriptio ab omnibus non est impetrata. Duo enim ex Sacramentariorum grege, CONRADUS QVANTIUS, Wadwardensium: & JOHANNES MEPPELENSIS, Sillenstedensium ecclesiarum Ministri, quia habebant, quod in ordinazione ecclesiastica, satis frigide desiderarent, subscriptiōnem declinarunt, quod tamen veritati & bonitati libri nihil præjudicat, quemadmodum conciliorum decretis, atque canonibus, ex eo nihil decedit, quod à complurimiis Sectariis principio vel contradic̄tum est, vel quorundam consensus non sine difficultate impe- tra-



tratus. Atque hi Duum Viri , nimii Calvinianarum partium studii suspecti , colloquio Jeverensi occasionem suppeditaverunt. Pudebat enim eos errores Zwinglianos profiteri , & tamen in pectore iisdem adstipulabantur , quos, simulandi & dissimulandi artibus , veteratoria quadam calliditate utentes , necesse erat , ne clancularii veritatis hostes magis apertis nocerent , è latebris suis , quibus se abscondebant , protrahere , veramque , quam fuko obtegebant , faciem , ecclesiæ oculis exponere. Hinc ad colloquium Jeverense An. c^o l^o LXXVI. per ventum est , in quo , utrum Quantius & Meppelensis ad genuinam atque veram de sacra coena sententiam traduci possent , ab Hermanno Hamelmanno , Henrico Tilingio , atque aliis præsentis & constantis animi Viris , attentabatur. Sed res ita cef- sit , ut illi in sententiis , hactenus à se defensis , pertinaciter consisterent , neque horrendos & Sacramentarios errores ejurarent.

§. IX. Sunt adhuc nonnulla , quæ ad LIBRUM ORDINATIONIS pertinent , singularia , & minime prætermittenda , eaque ab aliis vel cursim atque obiter memoriae tradita sunt , vel penitus neglecta. In quibus exponendis ita versabor , ut brevitatis , quoad ejus fieri potest , per omnia rationem habere velim , & , quæ circa scriptum istud observanda erunt , strictim attingenda putem. Illud constat , semper habuisse ecclesiæ symbola sua : symbola inquam , non tantum

d 3

illa,



illa, quæ in omnibus Christiani orbis partibus recipiuntur, & piorum suffragio approbantur, sed & talia, quæ post restauratam religionem, particulares ecclesiæ devinciunt, eas nimirum, quibus præcipue sunt præscripta. Sic Borussia, corpus doctrinæ Prutenicum: Gedanum, Jacobi Wartenii notulam: Luneburgum, corpus doctrinæ Julium: Norimberga, libros, ut vocat, normales: Pomerania, corpus doctrinæ Pomeranicum: Thuringia, corpus doctrinæ Christianæ Thuringicum, suis in ecclesiis voluerunt esse normam, cui omnes Pastores ecclesiarum subscriberent, ut pax & concordia conservaretur. Eodem consilio, laudabili certe & salutari, Oldenburgensum Comes tale scriptum ecclesiæ adornari curavit, quod Pastores, quibus pium propositum hoc, & intentio bona non ignota erat, deinceps approbarent, & communis subscriptione ratum haberent. Confectum illud est Lipsiæ, bono sane, pioque fine ac zelo, non tamen privato arbitrio, sed auspicio supremi Magistratus, si dispositionem respicias, à D. Nicolao Selneccero, sed lingua vernacula Jenæ impressum, Ao. cl^o I^o LXXIII. typis Donati Ritzenhanii, comprobantibus & ratum id habentibus præclaris Theologis Saxoniam, Misniæ & Thuringiæ. Ipsum volumen, in tres partes distributum est, quarum una, doctrinam; altera, ritus; tertia, bona ecclesiæ complectitur. Doctrina quidem duplex in hoc ordinationis libro comprehensa,



fa , una falsa est , quam heterodoxam appellant , altera vera , quæ Lutherana audit , cuius capita in Augustana Confessione continentur , ea scilicet Confessione , quæ anno seculi Lutherani trigesimo à Principibus , & civitatibus quibusdam , Cæsari est exhibita , & in celebri conventu recitata . Adhæc , profanas loquendi formulas , quæ novitate sua animos conturbant , atque pias aures offendunt , fugiendas quoque docet : contra , quibus phrasibus res sacræ omnium tutissime ab ecclesiæ Ministris efferri possint , solide non minus ac eleganter inculcat : quod iis de causis factum est , ne petulanti novitatis affectatione à proprietate sermonis ecclesiastici apud Oldenburgenses & Jeverenses discedatur . Est enim diligentia , digna piis & eruditis sacerdotibus , propter concordiam ecclesiæ , loqui cum ecclesia . Nam petulans mutatio , vel errores parit , vel dissidia , & plerumque periculis erroribus via sternitur , quando plerique , piscatori am Spiritus S. simplicitatem nauseantes , sub integumento ornatus atque elegantiæ alicujus , *ναυοΦωνίας* introducunt , & ecclesiam DEI , ejusdemque succes sum & florem interturbant , ac , quanta possunt audacia , infringunt . Quod ipsum , ut divus Comes præcaveret , hunc , de quo dixi , librum publicavit , solidum sane ac exasciatum , & per universas suas regiones sanxit , ut secundum eum , veluti normam , omnes con ciones instituerentur , erroresque cum illo pugnantes refutarentur .

§. X.



HISTORIA

32

§. X. Qvum vero liber ille sit repetitio doctrinæ salutaris & orthodoxæ, non absque causa quæ situm fuit: qua ratione in eo *corpus doctrinæ* Philippi Melanchthonis, ejusdemque *examen*, ut vocatur, *ordinandorum*, tanquam norma, quam Pastores in docendo & judicando sequerentur, ecclesiis Jeverensibus potuerit commendari? Nam vel superficiaria scripti inspectio evincit, solideque monstrat, quod Philippus in eo Synergismum stabilitat, quod de Filio DEI minus orthodoxe sentiat, usum legitimum rerum adiaphorarum pervertat, Evangelium cum lege confundat, justitiam fidei imperfecte & ambigue proponat, nec satis perspicue distinguat inter justitiam imputatam, & novitatem vitæ inchoatam, quod communicationem idiomatum non recte definiat, neq; doctrinam de Sacramentis sufficienter tradat & explicet, sed ambiguis & flexiloquis loquendi formulæ, Calvinismo bipatentes portas aperientibus, in eodem utatur, ita, ut D. Jacobus Andreæ, acerrimi judicii, magni zeli, magnæque pietatis Theologus, verissime dixerit, permulta in eo falsa esse, quæ in aliorum gratiam sunt scripta, & quæ Saxonæ Elector ex scholis & ecclesiis suis velit exterminata. Quod si tales errores, capitales certe, scripta hæc Melanchthoniana continant: quem igitur ad modum laudare ea potuit liber ordinationis, veluti normam, confitendi, propoundingi & defendendi in terris Jeverensibus fidem? Hic præ-



præmonendum illud duco, Selneccerum, cui ob eru-
ditionem, & agendi dexteritatem, in componendo li-
bro ordinationis præcipuæ erant partes, nominis Me-
lanchthoniani permagnum fautorem, quin & admir-
atorem fuisse, adeo, ut in *recitationibus* suis scribere
non vereatur: *qui Philippum non agnoscit Præcepto-*
rem, eum necesse est, merum esse asinum, & beanum su-
perbissimum: unus Philippus nobis sufficit, nec indigemus
novis monstratoribus. p. 328. In primis, CORPUS ejus
DOCTRINÆ, permagni semper fecit, &c, *post Biblia,*
meliorem librum non extare, intrepide asseveravit. Ex
quo factum, ut splendidissimis encomiis illud extol-
leret, & quibus admovebatur provinciis, ceu nor-
mam & formam doctrinæ, hunc in modum com-
mendaret, ut, *qui diversum ab eo sentiret, is defectio-*
nis à communi Præceptore, & consequenter à Luthero i-
pso argueretur, & schismatis nomine suspectus habere-
tur. Hos vero Selnecceri conatus, intentione equi-
dem non mala susceptos, nec ferre, nec silendo ap-
probare potuit D. Martinus Chemnitius, ob judicij
acumen permagni semper habitus: hinc in epistola,
Brunovici Ao. cl^o I^o LXXI. scripta, de corpore do-
ctrinæ Philippi, sub quo *Crypt*-Calviniani, virus
Sacramentarium ecclesiis Saxonicas & Anhaltinis ob-
trusuri, morbidæ causæ præsidium quærebant, se-
quentem in modum judicavit: *de scriptis Philippi re-*
verenter sentio, & ea propter methodum & utiles expli-
e
catio-

cationes amo ; sed scripta illa non possunt esse norma doctrinæ, cum sint privata scripta, & in illis quædam sint controversa, ut in loco, de arbitrio & cæna Domini. Atque ideo etiam, Ao. cl^o I^o LXIX. & LXX. in CONVENTU SERVESTANO, cum propositum fuisse, ut corpus illud Witebergense ab omnibus ecclesiis pro norma doctrinæ reciperetur, recusatum hoc fuisse. Cumque Commissarii peterent, sibi ostendi, quid in illo corpore desideraretur, monstrarunt ipsis ad oculos in multis locis errores. Hæc atque alia considerans Selneccerus, & penitus introspiciens ad secretiora illa studia & consilia Philippi, quæ certe pro incrustando Calvinismo satis strenue militabant, examen & corpus doctrinæ Melanchthonianum non amplius, ceu normam quandam infallibilem, Pastoribus commendavit, sed illud propter methodum, elegantiamque styli, & utiles explicationes, uti aliis provinciis, ita & Oldenburgenibus ac Jeverensibus, legendum atque observandum præscripsit: *in Theologia*, hanc ob causam ait in recitationibus *l. c.*, non habemus methodum meliorem, quam in scriptis Philippi, ex Philippo phrases & verba, apta rebus, ac definitiones petimus. Addo & hoc, Selneccerum hujus scripti commendatione, non respexisse posteriores libri editiones, paulo ante, aut post Lutheri obitum, magno cum scandalo immitatas, & à Philippistis foedatas, insertis & adjectis iis, quæ cum simplicitate & puritate doctrinæ manifestissime pugna-



gnabant, sed primam libri editionem, quæ Wittebergæ A. d. 15. XXI. vidi lucem, consideravit, illibatam certe, nec erroribus coinquinatam, & quam ipse Lutherus tanti fecit, ut eam, in præfatione scripti de servo arbitrio, contra Erasnum, *invictum libellum, non solum immortalitate, sed canone quoque ecclesiastico dignum*, appellitarit.

§. XI. Et hoc illud publicum ordinationis ecclesiasticæ scriptum est, hoc publicum confessionis Jeverensis symbolum, quod cura ingenti, impensis maximis, studio ac labore indefesso, inclytus Oldenburgen-sium Comes publicavit, eoque, diffluentes ecclesias co-adunivit, disjunctas copulavit, atque dispersas collegit. Nemo credat, nos illud scripturæ sacræ libris, quos Viri, divino afflato perculsi, consignarunt literis, æquare, quemadmodum Quantius & Meppelensis fingeant, imo libenter fatemur, ne quidem cum Augustana Confessione, communij omnium Protestantium calculo approbata, id hac in parte pari passu ambulare. Est enim atque manet ecclesiæ particularis Homologeticum, ad quod non tam fides ipsa, quam externa ejus publica professio, in tractu saltem Jeverensi, examinabatur. Esto etiam, unum atque alterum ex Crypto-Calvinianis, & Hardenbergii pullis, subscriptionem libri recusasse. Quid tum? Num inde puritati doctrinæ, in libro ordinationis expressæ, quicquam decedet? haud certe magis, atque ipsi decepsit Evangelio, quod Iudeis fuit scandalum, gentibus vero, stultitia. Nam unius

rei plures sunt fines. Recusatio illa, à Quantio & Mepelensi facta, hoc commodi præstitit, ut multorum hominum corda & cogitationes revelarentur, quæ prius latebant absconditæ, & latuissent diutius, nisi per librum hunc detectæ, & in publico congressu, in lucem quasi protractæ fuissent. Interim, quæ immortalis DEI gratia fuit, tota Ostringia, Wangerlandia, & Rustringia, librum istum, tanquam præclarum depositum, & magni pretii thesaurum, Ao. d^o L^o LXXVI. approbavit, atque, ut nihil in eo fuerit mutatum vel innovatum, summis viribus operam dedit. Et ad hanc sententiam, conceptis verbis, sequentibus annis alii subscripti serunt, Viri, doctrina pariter & vita sanctimoniam conspicui. Horum nomina, sicuti in manu scripto codice, ex archivō piissimi Principis mei, ad me pervenerunt, suppeditabo, & cum lectorē communicabo. Ac primo quidem loco, ex Ecclesia *Hohenkircheni*, manu menteque subscripti serunt Jodocus Edzardi, Lubertus Glanæus, Balthasar, & Theodorus Thobingii; ex Pastoratu & Paroecia *Niendana*, Ulricus Zyadonius, Casp. Major, Christoph. Zyadonius Zwiterda; ex *Silzenstedeni*, Daniel Thomas, Eilhard Roverus, Engelbertus Johannis, Antonius Wagner; ex *Schortensi*, Godfried Artius, Joh. Japetus; ex *Middochensi*, Rudolphus Nicol. Frisius; ex *Oldorfensi*, Rudolph Frisius; ex *Minsensi*, Ulferdus Rittenius, Joh. Pylstickerus; ex *Sandensi*, Joh. Wantischer, Romerus Christoph. Howidanus; ex San-



Sandalensi, Ægydius Lyranus, Joh. Eckelius, Frideric. Bakhus, Gerhard Prætorius; ex Tettensi, Edzard. Ludolphus Middochius, Joh. Glaserus; ex Clevernensi, Joh. Wegenerus; ex Pakensi, Fridericus Boso, Arnoldus Rudolphi; ex Heppensi, Richardus Sandenius; ex Wierdensi, Theophilus Carbo, Joh. Winthorst; ex Hohenstiefiana ecclesia, Onias Theodoricus; ex Wuppelensti, Joh. Sartorius, Henr. Rennecherus; ex Wadwardensi, Georgius Henetus, Reinerus Ligarius; ex Westrumensi, Joh. Emberus, Gerdhard Alvius, Gerhard Bakhus; ex VViefelsensi, Christophorus Rudolphi; ex ecclesia in insula VVangerogensti, Hermannus Lenzius, Jacobus Wantischerus; ex urbe & metropoli Jeverensi, Gerhardus Howickius, Georg. Auriga, Gerhardus Sartorius, David Herenius, Joh. Major, Henricus à Garle, Theorus Bakhusius, Martin. Lenzius, Mauritius Georg. Brandtius, & Joh. Nigrinus, verbi ~~verbi~~ divini ministri, sinceritate vitae, & gravitate docendi, quondam inlyti, quorum Virorum merita, quæ in coetum DEI puriorum extant summa, nulla unquam ætas conticescerit, nec hominum negligentia obliteratedbit. Quibus præmissis, pergo nunc ad ea sigillatim commemoranda, quæ circa urbem, in qua colloquium fuit habitum, evenerunt. Non describam autem hoc loco totum Dynastiæ Jeverensis tractum, nam hoc ad officium Cosmographi spestat, sed ea tantum annotabo, quæ antiquitatem sapient, & præ cæteris observationem quandam merentur.

^{De}
**LOCO, UBI HABITUM COLLO-
 QVIUM, URBE JEVERA.**

§. I.

Evera, antiquis Gevesandum appellata, totius Dynastiae propugnaculum est, metropolis ac epitome, non procul ab ostio Jadæ, in Visurgim & Oceanum germanicum semet exonerantis, sita. Distat Aurica tribus, Embda quinque, & Oldenburgo sex lapidibus, arcemque habet tormentorum numero, & rerum bellicarum abundantia munitissimam, quæ alto aggere, & profundissima fossa cincta, muro lateritio clauditur. Edo VVimmekenensis, permultis immunitatis, beneficiisque, eandem auxit, & postea amplificavit atque excoluit Maria, ac tam plurima in ea sede perfecit, quæ nomen ejus immortalitati consecrarunt. Aliquamdiu Capitaneis Ostringiæ fuit obnoxia, atque à Comitatu Oldenburgensi separatas rationes habuit, quoad vixit Maria Jeverensis; verum enim vero, hac mortuâ, comitatui illi inserta, perpetuoque juncta fuit, usque ad tempora Antonii Güntheri. Post hujus decessum, Principes Servesta-Anhaltini eandem suscep- runt administrandam, & cura virtuteque sua hodie- num tenent & tuentur, & legibus & judiciis, perbene constitutis, cum laude moderantur.

§. II. Ex paucis horarum intervallis, pharus & insula



insula VVangerogensis, quæ VVangriæ oculus est, prominet, à navigantibus pro tutissima navium statione concelebrata. Ex urnis, in hac insula quondam repertis, probari potest, Insulanos cremasse cadavera, & collegisse ex busto cineres, eosque in urnis fictilibus reposuisse. Unde non dissimulo, erroneam mihi semper visam esse illorum sententiam, qui promulgant atque scribunt, Insulanos, projectione cadaverum in mare contentos, non adhibuisse cremationis ritum. Quod contra fidem antiquitatis affertur, quæ cineres combustorum corporum in Insula Anhaltina VVangerogenfi quondam monstravit. Sed ab hoc Paganorum ritu discesserunt VVangerenses, rebus sacris iniciati. Fuere, qui præter urnas, numos etiam ostenderunt, ibidem repertos, ac veterum imaginibus signatos, quos haut dubie Frisones, variis implicati bellis, in has oras Oceani, veluti prædam, ab hostibus captam, priscis temporibus asportarunt.

§. III. Mare insulamque VVangerensem relinquaremus. Provehamus in continentem. Sita est urbs Jevera in planicie, loco commodo, nec in amœno, multisque ædificiis exornata. Incendio duabus viciis foedata est, anno nimirum cl^o CC LX, & cl^o I^o LIII, quæ calamitas pristinum urbis statum insigniter mutavit. Mox ædes rursum extructæ sunt, sed non in eam amplitudinem creverunt, ut pristinum splendorem & numerum exæquarent. Nihilominus amœnitas

HISTORIA

40

nitas agri , & fides civium , & cura commerciorum cum Batavis & Anglis, induxit veteres Ostringiæ Dominos , ne longius ab urbe recederent , sed aulæ suæ sedem & clientelam eò transferrent. Templum habet, quod vetustate se commendat, non adeo obscurum, sed bene exstructum , & turri præditum ac exornatum. Qvum sacra romana adhuc in usu essent, magno in honore templum Jeverense fuit , quia permultaæ indulgentiarum literæ , à Præsulibus Bremensi bus, aliisque missæ , tanquam ancilia, cœlitus delapsa, in illo custodirentur. Nunc vero, puriori cultui destinatum, Sepulcro viraginis Mariæ, sed sine cultu, superbit. Cives in præcipuis opulentiaæ laudibus ponunt πολυάργες, πολυμήλας καὶ πολυθέτας, nec difficulter à mari impetrant , quod à terra illis negatur. Agricultura ab incolis eò usque culta est , atque novis inventis aucta & locupletata , ut, quibus locis fluctus intumescebant , & æquora naves secabant , nunc vere campi Elysii enitescant, qui tanto cum fœnore depositum reddunt, ut, quo recondantur gramina & fruges, locus non supersit sub tectis , sed sub dio in metas atque mergites hinc inde sint per areas agrosque accumulandæ.

§. IV. Neque minus in progignendis elegantissimis hominum ingeniis , ad omnis eruditioñis cultum efflorescentibus, Jevera semper felix fertilisque est habita. Nam, ut alios Viros, inter magnos maximos,

præ-



prætermittam, religiosam illam, amplissimam & præstantium ingeniorum feracissimam familiam EDZARDIANAM condidit, cuius in puriorem DEI cœtum merita, uti sempiterna sunt, ita & à posteris sancte conservari, & per omnia ætatum tempora, aſſidue debent commemorari.

§. V. Ceterum, interiora urbis ornamenta tot tamque præclara sunt, ut ea vix oratione complecti, aut enarrare, multo minus exornare queam. Dynastia in primis terra marique, tum situ etiam ac descriptione Insulæ Wangerogensis nobilis, ac rebus omnibus, ad humanum usum, cultumque vitæ necessariis, maxime insignis est. Ex quo sane flos & firmamentum Frisionum, quin etiam ipsum cornu *τῆς ἀμαλθείας*, non immerito habetur. Etsi autem hæc ornamenta eximia DEI dona sunt, & voce literisque prædicanda, tamen præstabilior, majorique laude efferenda est illa felicitas, & immortalis DEI beneficium, quod, absq; ullis impedimentis, instaurata sacra retinet, & sarta tecta conservat. Una & simplex religionis doctrina, quæ universam Dynastiam, tanquam ros quidam cœlestis, sgraviter rigat & perfundit, in ejusdem metropoli viget, & una mente animoque precationum formulæ instituuntur, dissensionum occasiones & causæ præciduntur, & vita moresque, idonea sacri cœtus disciplina, reguntur, annitentibus & incumbentibus venerandis civitatis sacerdotibus, doctrina exultis, &

f

san-

sancitatem egregiis, ut emendata sacra à corruptelis, & omni perversarum opinionum labo, integra vindicentur. In quo laudabilem operam præstiterunt saecorum Antistites, jam in cœlo triumphantes, Johannes Honnichius, Jodocus Edzardus Glanæus, ac D. Alardus Vakius, libro *de uniendis Christianorum animis* hodienum celeberrimus, qui de cultu diviniori in Wangerlandia, Ostringia & Rustringia præclare meruerunt, ut posteritas, Virorum memoriam grata mente veneretur, ac perpetuo in animis suis mansura illorum monumenta relinquat. Neque reticendum est LYCEUM, illustre civitatis, & totius Dynastiae ornamentum, quod literarum studiis ibidem floret, & in quo, post emendatam à Luthero religionem, Doctorum partes suscepereunt solertissimi juventutis formandæ artifices, in omni eruditionis genere versati, & multam doctrinarum laudem in orbe literato consequuti.

§. VI. Atque hæc illa urbs est, in quam, confilio vere pio ac salutari, colloquium transtulit Oldenburgenium Comes. Hic ille locus est, eruditorum congressu celebratus, in quo divus Heros illud spectavit, ut quos à vero religionis scopo aberrare judicaret, atque *ὑπελόντι* fovere prævideret, ad idoneam de rebus divinioribus sententiam adduceret. Hæc illa sedes est, in qua huic rei vacare voluit prudentissimus Heros, ut Calvinianorum callida consilia & sophistications



ones solenni hoc actu detergentur, detecta reprimuntur, repressa condemnarentur, atque ad amplificanda ecclesiæ Jeverensis pomœria, quasi via quædam sterneretur. Hic tandem rhodus ille Jeverensis, hæc illa palæstra, hic campus martius est, in quo Hamelmannus, strenuus ille Christi Athleta, pro fide semel tradita, summa qua potuit fide, depugnavit, sed & Adversarios resupinavit, debellavit, eorumque strophas elisit & confregit. Uter vero, num Hamelmannus, an Quantius & Meppelensis, huic certamini ansam & occasionem præbuerit, uter etiam frigidam suffuderit, ut bellum hoc magis magisque exardesceret, ex brevi hac narratione patebit, quam, ut ex publicis colloquii actis repetamus, ipsa rei, de qua agit, gravitas, & Hamelmanni nostri innocentia exigit.

C A P. IV.

De
IIS, QUI COLLOQVIO JEVE-
RENSI INTERFUERUNT.

§. I.

JOHANNES, Oldenburgensium Comes, permagna cura & contentione id egit, ut inveniret rationem, expediendi se, & regiones suas, ex illis tricis, quas repurgatæ religioni male quidam feriati homines necabant: eos puto, qui, quod Calvinum sub pectore occultabant, cum palam inficiarentur, se ejus partibus favere, Crypto-Calvinianorum nomine notati sunt.

Proinde, ut horum præstigiatorum, qui illis temporebus fraudulentia sua etiam acutissimos fallebant, nefaria consilia dissiparet, synodum Ao. cl. I. LXXVI. die 4. Aprilis, Jeveræ indixit, & cum Theologis hoc decretum fecit, ut ad sacerdotium nemo admittetur, aut in eodem toleraretur, nisi ordinationem ecclesiasticam, & quoad doctrinalia & ceremonialia, manu menteque approbaret. Publicavit hoc decretum per omnem Wangerlandiam, Ostringiam & Rusteringiam, & singulos ecclesiarum Ministros literis hortatus est, ut illud ratum haberent. Sed offensi eo Johannes Henricus Jæpetus, Conradus Qvantius, & Johannes Meppelensis, Viri non adeo indocti, fremere & repugnare non tantum totis animis & viribus occéperunt, sed & subscribere omni ratione recusarunt. Atque hæc illa triga erat, quæ sub Calvini signis militabat, & Hamelmanno in certamine religionis objiciebatur.

§. II. De eorum vita parum, aut nihil nobis constat. Nec operæ pretium duco, hujusmodi fanaticorum, qualis quidem Qvantius & Meppelensis fuit, res gestas pertexere, quando obscurus labor est, obscurorum & indignissimorum hominum vitas & facta, momentaque omnia evolvere ac explicare. Belgas illos fuisse, nec animi dotibus prorsus destitutos, ipsius colloquii acta promulgant. Hoc saltem dolendum est, quod Calvinistæ illius Bremensis, Alberti Hardenber-

gū



gii partes in se suscepint, hujusq; autoritate & consiliis ecclesiam Jeverensem disturbarint. Non vero publice statim, sed clanculum & privatim primo, postea demum, demagogicas artes edocti, pro suggeritu Wadwardensi & Sillenstedensi virus suum populo instillarunt, atque ordinationem ecclesiasticam, annis abhinc multis ab Oldenburgensibus receptam, exagitarunt, allatrarunt, & mordaci ac theonino dente arroserunt. Quod quidem adeo mirandum non est, quandoquidem Calviniani, qui unquam purioribus divini nominis cultoribus negotium facesserunt, clandestinis semper machinationibus, privatorum animos in secretioribus angulis occupare prius soliti sunt, quam publicum sub illustri tecto docendi munus obire.

§. III. Operæ pretium fuerit, de iis sigillatim agere, qui, Calvinianorum partibus addicti, colloquio Jeverensi interfuerunt. In quo certe primum locum JOANNES HENRICUS JAPETUS occupat, Ecclesiæ Schortensis Pastor, qui ita cum Sacramentariis colludebat, ut non modo purior religio apud Schortenses multum damni pateretur, sed & orthodoxi, in primis Johannes Honnichius, Antistes Jeverensis, acerrimus corruptelarum Calvinianarum Oppugnator, ansam inde arriperent, de Japeti constantia atque fide, addo etiam puritate, addubitandi. In primis, circa usum rerum adiaphorarum & indifferentium fanaticis

cesserat, & plus æquo indulserat, ita, ut libertas Christiana in ecclesia Schortensi periclitaretur, & confessio veritatis titubaret. His ergo atque aliis de causis moti plerique orthodoxorum, Herum suum monuerunt, ut in doctrinam & confessionem Iapeti accuratius inquireret. Et sane inclitus Oldenburgenium Comes, nihil in se desiderari passus, Viri confessionem saepius postulavit, quam etiam Celsitudini ipsius exhibuit, cum hac perpetua clausula & attestatione, se corpus doctrinae Oldenburgeris in omnibus probare & approbare, iis saltem exceptis, quæ de Exorcismo & Sacramento Altaris in eodem habentur.

§. IV. Ut vero omnia, quæ hic disseruimus, rite capiantur, ipsa libri verba audire, & ordinationem ecclesiasticam perlustrare juvabit. Et de EXORCISMO quidem, antiquissima illa, & à primis ecclesiæ nascientis seculis derivata consuetudine, sequentia P 3 & Y 7 inculcat. Es muß ein großer Unterscheid gehalten werden, zwischen dem, darin die rechte Substantz der Tauffe stebet, und zwischen Gebeten, Lectionen, und andern Ceremonien, so sonst dabeigebraucht werden. Und weil unter denselbigen Ceremonien etliche sind, an welchen öffentlicher Aberglaube hänget, als wie man im Papstthum handelt, mit geweihten Saltz, mit dem Speichel, mit dem Ave Maria, mit dem Oel, Chrisam und brennendem Lichte, also, daß die Kraft und Wirkung, so eigentlich der heiligen Tauffe gebaret, gegeben und zugeschrieben wird dem geweihten Saltz, dem Oel und Chrisam, wie solches ihre Agende ausweiset, als sollen dieselben Ceremonien bey der Tauffe unterlassen und weggethan werden. Aber andere nützliche Lectiones, Gebet und Fragen, quorum etiam refertur Exorcismus, us dicatur: Fabre aus du unreiner Geist



Geist etc.) dadurch die Lehre von der Tauffe, von der Erb-Sünde, vom Glauben, von der Wiedergeburt und Erneuerung, kurtz und nützlich erkläreret wird, sollen gehalten werden, wie in dem Tauff-Büchlein Lutheri verfasset ist. Quod articulum de Sacra COENA attinet, hunc certe per multas paginas R 3 seq. ita tuetur, ut & vera eius fundamenta producat, & corruptelis Sacramentariorum satisfaciat, è quibus sequentia, notatu præcipue digna, excerpimus. Nachdem des Pabst's Opfer-Meß, Kelch-Reuberey, und andere Missbrauche, durch Gottes Wort offenbabet und niedergelegt seyn, und gleichwohl der Satan uns den Schatz, so wir im Abendmahl haben, nicht gern rein wolt lassen, versucht ers ietzund durch die Sacrament-Schwärmer, auff eine andere Weise, nemlich: Er läßt im Abendmahl Brodt und Wein essen und trincken, den Todt des Herrn verkündigen, aber den besten Kern nimmt und räubert er heraus, nemlich, den Leib und Blut des Herrn. Und ob wohl die Calvinisten ietziger Zeit denselbigen Irrtum so herrlich schmücken, daß es einem Einfältigen fast zu behend ist, so ist doch dieses die Summa ihrer Meinung, daß der Leib und das Blut Jesu Christi, von dem Brodt und Wein, welches hier auf Erden im Abendmahl gereicht, und empfangen wird, so weit, und noch weiter abgeschieden sey, denn der Himmel von der Erden ist, denn sie wollen, daß Christi Leib und Blut nach dem Wesen ietzund nur allein im Himmel, und nicht bier auf Erden, da das Abendmahl gehandelt wird, seyn sollen, daß also dasselbige, was uns hier auf Erden im Abendmahl, durch die Hand des Dieners gereicht, und mit unserm Munde empfangen wird, nicht sey der wahre, wesentliche Leib und Blut Christi, sondern nur allein Brodt und Wein, es werde aber genennet Christi Leib und Blut darum, daß es sey ein Zeichen, dadurch entweder bedeutet, oder die Kraft des abwesenden Leibes und Blutes Christi uns gereicht werde, der Glaube aber müsse mit seinen Gedancken sich vom Abendmahl abwenden, und binauff steigen über alle Himmel, und da-
selbst



selbst den Leib und das Blut Christi geistlich geniesen. Das ist im Grunde aller Sacrament-Schvværmer endliche Meinung, sie mögen sich schmücken und verdreben, vvie sie immer wöllen oder können. Diese Meinung kan nun für der Vernunft, mit gar ansehnlichen Schein geschmückt werden, aber fromme Christen werden erinnert, daß sie mit den Worten des Abendmahls nach ihren Gedancken nicht spielen sollen, dieselben ihres Gefallens zu deuten, denn es sind Wort des Testaments des Sohnes Gottes, daran so viel gelegen ist, daß, vver nicht recht unterscheidet dasjenige, vwas im Abendmahl des Herrn gereicht und empfangen wird, nemlich, daß es sey der Leib und das Blut Christi, der isset und trincket ihm das Gerichte. Nun ist dieser Handel leicht und klar, vvenn wir nur allein einfältig dabey kœnten, oder wöllen bleiben, was der Mund ausredet, von welchem der Vater aus dem Himmel rufft: Das ist mein lieber Sohn, den sollt ihr hoeren. Denn im Abendmahl des Herrn, ist etwvas fürbanden, das wird uns durch die Hand des Dieners gereicht, und wir haben Befehl, daß wirs mit unserm Munde empfahen sollen, da Christus spricht: Nehmet, es set und trincket, welches nicht kan von geistlichen essen und trinken allein verstanden werden. Nun ist die Frage: vwas dasselbige sey? Brodt seben wir, Wein schmecken wir wohl, es ist aber die Frage, ob dasselbige, das im Abendmahl gegenwärtig ist, das durch die Hand des Dieners gereicht, das mit unserm Munde, mit essen und trinken empfahen wird, ob das allein Brodt und Wein sey? Darauff antwortet der, der die Wahrheit selber ist, das nemlich, das da gegenwärtig ist, das durch die Hand des Dieners gereicht, und mit unserm Munde empfangen wird, das ist mein Leib, das ist mein Blut. Und daß wir ja nicht zweifeln dürffen, ob diese Worte einfältig, vvie sie nach den Buchstaben lauten, sollen verstanden werden, oder ob man ihnen eine andere Deutung geben sollte: so hat der Herr Christus solche Wort seines Testaments, an etlichen Orten in der Schrift wiederholet, und selbigen die Auslegung dabey gesetzt, mit deutlichen klaren Worten: Es ist mein Leib, der für euch gegeben wird: Es ist mein



mein Blut, das zur Vergebung euer Sünden vergossen v wird. Und Paulus 1. Corinth. 10. Das Brodt, das v vir brechen, ist participatio corporis Christi, eine gemeine Austheilung und Niessung des Leibes Christi. Das ist doch ja deutlich und klar gnug, den Text mit der glossa gegeben, v was da sey, das im Abendmahl mit Hand und Mund gereicht und empfangen v wird, ob der Leib und Blut allein geistlicher Weise, durch den Glauben empfangen, item, ob v vir müssen binauff gen Himmel steigen, v wenn v vir den Leib und das Blut des Herrn Christi empfangen w ölten, oder, ob Christus zu uns kämmt, und allbier auff Erden in seinem Abendmahl uns seinen Leib und Blut reiche und gebe, denn auff diese Fragen alle, giebt Christus richtige, klare Antwort: Das euch im Abendmahl hier auff Erden gereicht v wird, das ihr mit eurem Munde empfanget, das ist mein Leib, der für euch gegeben v wird, das ist mein Blut, das für euch vergossen v wird, zur Vergebung der Sünden. Nicht aber essen v vir den Leib Christi also natürlicher Weise, v wie ein Stücke Rindfleisch, das mit den Zäbnen zerkauet, eingeschlungen, im Magen verdauet v wird, etc. v wie die fleischliche grobe Vernunft gedencket, und den Christen zumisset; sondern, v weil Christus spricht: Nehmet, esset, das ist mein Leib, so gläuben v vir, obs gleich nicht natürlicher Weise geschickt, daß es dennoch gleichwohl v瓦haffrig geschebe, auff übernatürliche himmlische Weise, v welche dem Stifter dieses Abendmauls allein bekant ist. Wir gläuben, v was er sagt, Modum aber, v wie es geschehe, befehlen v vir dem, der es gesagt. Und hier soll uns nicht irren, daß solches unser Vernunft v wunderlich, seltsam und ungereimt düncket zu seyn, denn die ist in Gottes Sachen eine Närrin, 1. Corinth. 1. und 2. und muß gefangen genommen v werden unter dem Gehorsam Christi, 2. Corinth. 10. So iſt auch v wider keinen Artickel des Glaubens. Denn, daß die Calvinisten mit hohen prächtigen Worten fürgeben: Weil es nicht iſt eine natürliche Eigenschaft eines v瓦ahren menschlichen Cörpers, daß er auff eine Zeit zu gleich, mehr denn an einem Orte v wesentlich seyn könne, und aber Christus einen v瓦ahren menschlichen Leib, mit allen v wesentlichen Eigenschaften,

ten, uns allenthalben gleich, nur allein die Sünde ausgeschlossen, an sich genommen, Hebr. 2. und 4. so vermöge er nicht, salva humanitatis suæ veritate, mit seinem Leibe und Blute im Himmel zugleich, und an allen den Orten auf Erden, da sein Abendmahl nach seiner Einführung gehalten w wird, wesentlich gegenwärtig zu seyn, ob gleich die Worte seines Testaments also lauten. Darauff giebt unser Glaube eine richtige, gründliche, klare Antwort, nemlich, daß nicht allein das wahr sey, welches wir gerne zugeben und bekennen, daß Christus nach seiner menschlichen Natur, uns seinen Brüdern allenthalben gleich ist, ausgenommen die Sünde, sondern, daß auch diß feste stehe, und wahr sey, weil die menschliche Natur in Christo mit der göttlichen persönlich vereinigt und erhaben ist, über alles, was genennet kan werden, nicht allein in dieser, sondern auch in der künftigen Welt, Ephes. 1. daß Christus mit seiner menschlichen Natur, und durch dieselbe viel könne, vermöge, und ausrichte, das sonst den wesentlichen natürlichen Eigenschaften, eines schlechten menschlichen Cörpers gantz und gar unmöglich wäre, denn sein Blut reiniget uns von Sünden, 1. Job. 1. In seinem Blut haben wir die Erlösung, und Vergebung der Sünden, Coloss. 1. In seinem Blut sind wir gerecht, Rom. 5. Sein Fleisch ist gegeben für der Welt Leben, Job. 6. Er geht mit seinem Cörper durch verschlossene Thüren, Job. 20. Wandelt auff dem Wasser, Matth. 14. Ihm ist nach seiner menschlichen Natur alles in seine Hände gegeben, Job. 13. Matth. 11. Ja alle Gewalt im Himmel und auff Erden, Matth. 28. und werden gleichwohl dadurch die Naturen nicht vermischt: Weil nun derselbige in seinem Testamente, von dem Brodt und Wein, so im Abendmahl gereicht und empfangen werden, spricht: Das ist mein Leib, das ist mein Blut, soll ihm das unmöglich seyn, darum, und aus der Ursachen, weil es die natürlichen Eigenschaften in unsern Cörpern nicht vermügen? ja, unser Glaube bestätigt diß vielmehr, weil ers gesaget hat, ob es gleich den natürlichen Eigenschaften des menschlichen Cörpers nicht möglich ist, so vermag doch der, dem alle Gewalt gegeben ist, im Himmel und auff Erden, auch nach seiner menschlichen Natur. Also auch giebet unser Glaube



be gute, beständige Antwort daruff, wenn die Calvinisten ein groß Ge-
schrey darüber machen: Christus ist mit seinem Leibe gen Himmel
gefahren, derohalben kan er mit demselbigen nicht hier auff Erden
bey uns in seinem Abendmahl seyn. Denn die Himmelfarth Christi ist
nicht eine schlechte, räumliche Veränderung des Orts, wie Elias gen
Himmel gefahren ist, oder wie ein armes Væglein von der Erden auff ei-
nen Baum fleugt, wie die Sacramentarii mit ihren kindischen Gedancken
davon dichten, sondern also redet die Schrift darvon, daß Christus,
durch seine Himmelfarth, alle irrdische Schwachheit abgelegt, und sey
dardurch gesetzt, zur Rechten der Majestät und Krafft Gottes, Marc.
16. Actor. 2. Hebr. 1. Luc. 22. also, daß ihm auch, nach seiner mensch-
lichen Natur, alles unterworffen, er über alles, was gewaltig und kräftig ist,
ja über alle Himmel, und über alles, was Nabmen hat, (ausge-
nommen Gott selbst,) erhöhet, 1. Petr. 1. Ephes. 1. Solte ihm denn Stätte,
Raum und Ort hindern, daß er nicht vermöchte, was er in seinem Te-
stament ausgesprochen, ja auch, nach seiner Himmelfarth, wiederbolet
und bestätigt hat? 1. Corinth. II. das kan, darff, muß und soll unser
Glaube nicht sagen, sondern eben dieselbige Artickel des Glaubens, die
als streitig wider den einfältigen Verstand des Testaments Christi, von
den Sacramentariis angezogen werden, bestätigen und bekräftigen
denselben vielmehr.

§. V. Non diffitebitur, quisquis attento studio
hæc perlegerit, quæ paulo prolixius ex ordinatione
allegavimus, solida illa esse, atque exasciate à Selnec-
cero conscripta. Nihilominus Japetus, instituta apud
Jeverenses mutua συμβάσει, censoriam sibi virgulam
sumebat in ea, quæ auspiciis ipsius Comitis, totius
provinciæ Oldenburgen sis suffragiis, atque omnium
ordinum consensu, erant constituta, approbata &
confirmata. Ad hæc, tacere nec voluit, nec potuit

Hamelmannus, *Theologus*, ipsius Cancellarii Oldenburghensis judicio, tanta prudentia, eloquentia & eruditione exornatus, ut omnes sophistificationes Calvinianorum potuerit retundere: hinc, animadvertisens, Japetum manifesta impietatis signa prodere, imo in tota doctrina καλφιανίζειν καὶ σαστιάζειν, turbas dare, labemque & maculam ecclesiis Jeverensibus aspergere; hinc, inquam, Hamelmannus, jubente & tantum non flagitante Japeto, quicquid circa exorcismum huic videbatur obscurum, docte illustrabat, quicquid dubium erat, clarissimis verbis explicabat, tandem, quicquid in Sacra Coena, obtorto collo, in partes Calvini & Hardenbergii rapuerat, à perversa, & verbis institutionis repugnante interpretatione, tam solide graviterq; vindicabat, ut *Japetus*, secundum commentatoris annotatiunculam, *Viro Theologo non potuerit resistere*. Quapropter, non modo mentem & sententiam suam candide & orthodoxe aperuit, sed & retractare dicta satius duxit, quam, quæ Meppelensis & Quantii pertinacia & ambitio erat, dissimulando aut defendendo errata, novam conscientiæ adspergere labem: *acquiesco, eam ob causam dicebat, & latus subscribo ordinationi ecclesiastice inchyti Herois nostri, & interim & vobis, Magnifici Domini, & in primis D. Superintendenti, pro pia institutione gratias ago.*

§. VI. Japeto in congressu juncti erant CONRADUS QVANTIUS, & JOANNES MEPPELEN-



LENSIS, Ministri Wadwardenses & Sillenstedenses.
Quid ergo rerum tradere moliti illi fuerint, proximum
est, ut ediscatur. Qvum autem exploratum sit, quod
modo intelleximus, Calvini & Hardenbergii hæresin
ab iis disseminatam fuisse, de ipsorum dogmatibus fa-
cile judicari potest. Nihil temere asserendum duco,
nec ad singula discutienda descendam, sed brevi velut
penicillo saltem adumbratus sum, quibus maxime
opinionibus, ceu veneno aliquo, Jeveram oppleve-
rint. Et quidem initio, exorcismum aggressi sunt, quem
virulento odio insectabantur, ex eo capite, quod con-
fessionem doctrinæ de vi & efficacia baptismi sistat.
Verba, quibus eundem hostili animo oppugnarunt,
recensere, hoc quidem loco, lubens supersedeo, ut
pote quæ abunde in actis occurrunt, ubi vel profanæ
sententiæ, impiaque asserta proferuntur, vel crima
falsi enarrantur. Neque in his substitit præposterus
illorum zelus, sed ulterius progressi, Lutheri Cate-
chismum suspectum reddere, plebem simplicem de-
raudare & decipere, scholas, vix dum reformatas,
disturbare, vastare, imo penitus evertere studuerunt,
novas plane, absurdas & sacramentarias opiniones
ecclesiæ obtrudentes. Dehinc, ultimum Salvatoris
nostrí Testamentum proterve infestarunt, atque eo
tela & argumenta sua in colloquio direxerunt, ut, ne-
gata majestate divina carnis Christi, quam *ubiquitatem*
per calumniam nominabant, negata item vera ac re-

ali præsentia corporis & sanguinis Christi in Sacra-
mento, eorundemque orali perceptione, erroneous su-
as opiniones de finita & creata, mediaque inter divi-
nam & humanam, potestate, carni Christi commu-
nicata: de spirituali, etiam sola, & per fidem, ad cœ-
los evolantem, expediunda mandatione corporis
Christi, de significativa tandem, & $\chi\delta\ln\eta$ ejusdem præ-
sentia: & similes alias absurdas, DEIque verbo con-
trarias sententias mordicus tuerentur, nostras vero ec-
clesias horrendæ, & cogitatu saltem tremendæ crassæ
ubiquitatis, nec non cyclopicæ & capernaiticæ devo-
rationis corporis Christi, aliorumq; absurdissimorum
paradoxorum insimularent, verba phrasesque inver-
terent, statum controversiæ premerent, illoque ne-
glecto, ad alia profilirent. Inprimis, hoc omni re-
prehensione dignum est, quod, toties admoniti à Can-
cellario, toties convicti ab Hamelmanno, toties ad
absurdum redacti à Tilingio, Calvinismum non abji-
cere, sed defensiunculis suis, toties toties iteratis, tur-
bare ecclesiam, & piorum aures & mentes offendere,
quam digna eruditis palinodia & moderatione, salu-
tari concordiæ incumbere maluerint. Certe, quod
de Qvantio acta referunt, *in eo apparuisse disciplinæ
Calvinianæ formam, & profligatæ pertinaciæ exemplar,*
*ad indolem veterum hæreticorum comparatum, idem de
Meppelensis ingenio & indole judicandum est.* Hinc,
animadvertisens, cœlum & aërem Jeverensem sibi so-
cio-



cioque non amplius favere, stationem suam deferuit,
& cum Qvantio, in Bataviam se contulit, in qua, nec
vocati, nec confirmati, semet in sacrum munus &
suggestum ingessere. Quum vero WOIPPO OITEN-
SIS, cuius apostasia adhuc minus innotuerat, contro-
versiae huic se admisceret, &, Crypto-Calvinianis &
Sacramentariis Jeverensibus opem latus, contra Ha-
melmannum, patrocinium susciperet, ibi Hamelman-
nus Goliatho isti, in *post-colloquio*, ita masculine respon-
dit, ut fraudes & imposturas Woiponis toti orbi
Christiano detegeret.

§. VII. Nunc mihi temperare nequeo, quin de iis
aliquid commemorem, qui ex ordine politico, no-
stram causam in colloquio adjuverunt, ac Japetum,
Qvantium & Meppelensem debellarunt, eosque ad
saniores sensum redire, optaverunt. Persona Prin-
ceps, quæ, jussu Comitis Oldenburgensis, auctoritate
sua congressum rexerat, &c, ne perfunctorie & tumultu-
arie res sacræ gererentur, præfido suo effecit, Vice-
Comes BURCHARDUS à STEINBERG est, quan-
quam & colloquentis subinde assumeret schema. Hic,
uti doctrinæ & laboris: ita & tantæ existimationis &
famæ erat, ut, in gravissimis quibusve confessibus, ad
deliberationes de rebus sacris, missus à Comite Lega-
tus, adhiberetur. Et, nisi me omnia fallunt, in hoc
ipso colloquio talem se præstitit, ut, & ob animi pie-
tatem, & in religionis sensu puritatem, atque in offi-

cio



cio parrhesiam & dexteritatem, bonis omnibus commendari possit.

§. IIX. Steinbergio associabatur D. JOHANNES ab HALLE, Cancellarius Oldenburgicus, qui in omnibus sibi impositis partibus, Viri solide docti & exercitati, Disputatoris exacti, & denique Consiliarii pii, christiani & modesti officio functus est. De eruditione ejus colloquium testatur. Sive enim ex sacra rum literarum codice quæstio mota fuerit, ita solide sedem & indolem veræ & genuinæ sententiæ animadvertere potuit, ut ex equestri ordine secundum non habuerit; sive ex Patrum scriptis definiendum aut decidendum aliquid fuerit ab Hamelmanno, rursus tallem se præstitit, ut illum Lutheranis admirandi, Calvinianis vero indignandi materiam præbuerit. Non inficior, permultos fuisse Viris Principibus à cancellis, qui, cum ab ingenii dotibus, atque eruditione politica, satis parati & instructi essent, ad res suas, dominum laude peragendas; ἀλλοτριοεπισκοπεῖν, & non tantum factorum alienorum foris censores, sed & rerum sacrarum Aristarchi esse maluerunt, qui nemini non obeliscos figerent, atque summum suum Magistratum vel technis circumvenirent, vel ecclesiam voce scriptisque offenderent & disturbarent. Prostant hac de re exempla quamplurima, ab omni ævo à nobis observata. Thomas Morus, Angliae Cancellarius, se ipsum rebus sacris intrusit, ac *responsionem*, ut vocat,

ad



ad convitum Lutheri conscripsit, quin etiam flabellum fuit, quibus alii, præcipue ii, qui tum scientiarum principatum in Anglia tenebant, adversus sanctum Virum irritarentur. D. Nicolaus Crellius, Cancellarius Dresenensis, homo perfidus & seditiosus, totus in eo fuit, ut, Urbani Pierii svasu, constantes Theologos, & intemeratae fidei assertores diffamaret, Iudibrio exponeret, excruciaret, officiis spoliaret, vinculis manciparet & excarnificaret, introductoque Calvinismo puriore DEI cultum penitus tolleret ac extirparet. Bartholomæus Gerike, Cancellarius Servestanus, nomen Antonii Bembellonæ de Godentiis mentitus, pio suo tempestivoque, verius impio atq; intempestivo suscitabulo, autor svasorique Viris Principibus fuit, ut conscientiarum libertatem & *avijoropisav* suis subditis liberrimam permitterent, & mixturam quandam Lutheranismi & Calvinismi introducerent, eamq; aliis commendarent. Autor Cabbalæ demudatæ, Christianus Knorrius à Rosenroth, Cancellarius Sultzbacensis, purioris fidei capita ad Cabbalismum, in gratiam recutitorum, reduxit, atque hinc fanaticis, aliisque mysterii Cabballistici sive interpretibus, sive admiratoribus, frigidam suffudit. Henricus Gebhardus Wesenerus, Cancellarius Rutheno-Geranus, assumpto nomine Gottlibii Heylandi, seditiosum illud dogma, antiquam intelligo milleniorum fabulam, ceu monstruosam Cerinthi sub novo foedere propaginem, nova facie

h

in-

incravat, asseruit, editisque subinde scriptis, Geræ promulgatis, eandem mordicus defendit: quo ipso puriorum DEI cœtum graviter conturbavit. Alia mens erat Cancellario Oldenburgenſi. Non iis aſſentiebatur, qui religionem attemperari volunt, vel ad Principum, vel aliorum quorumcunque in aulis & ſcholis eminentium cupiditates, multo minus illis herbam porrigebat, qui mordicus retinent errores impios, & cum à voce divina, tum judiciis recte ſentientium rejectos & condemnatos. Acerime vero id hominum genus fugiebat, & toto pectore execrabatur, quod superbissime, & Giganteo plane auſu, omnes religiones deridet, tanquam fabulas & inania terricula- menta. Denique, nec extra vocationis limites evagabatur, nec virgulam ſibi censoriam in Orthodoxos, privato auſu & arbitrio, ſumebat, nec illotis manibus in res sacras involabat, ſed totus in eo occupabatur, ne alia, præter eam, quæ à Lutherò, ad verbi divini regulam, conſtituta fuerat, doctrina, in eccleſias Jeve- renſes, ab intempeſtivis Hardenbergii propugnatori- bus inveheretur. Equidem Calvinianis in more po- ſitum eſt, eum *αἱλοτεισπιτωπιας* statim insimulare, qui, licet vocatus & quaſi compulſus, exterarum eccleſia- rum curam habet, & Reformatorum conatus mani- festat, ac per colloquia, literas & consilia erronibus aditum in ſanctiora ministeria præcludit, & orthodo- xam cauſam tuetur. Sed irreligiosum facinus erit,

aiſſo-

ad mortuorum flagitio infamare illustrem Cancellarium, quippe quem inclytus Comes, ut Jeveram intraret, ut colloquentes in ea audiret, ut causam DEI & pietatis peroraret, rogaverat, requisiverat, jussicerat. Poterat certe quietius Oldenburgi permanere, & rerum suarum, quas in amplissimo officio per plurimas habebat, satagere. Sed maluit Jeveræ pietatem suam DEO, & industriam hominibus demonstrare, quam Oldenburgi reculis suis consulere, & ecclesiæ Jeverenses, in acie novaculae constitutas, susque deque habere.

§. IX. Supereft HENRICUS TILINGIUS, Philosophiae Doctor, qui cum Halleo disputationi Jeverensi interfuit, & collocutorem magna dexteritate & judicio præsttit. Hujus Viri opera, multiplici rerum scientia, doctrinæque præstantia, tanti æstimata est, ut non vulgari cum stipendio respublica Bremensis aliquando conduxerit, ut eidem esset à consiliis, & simul Secretarii illius urbis vices sustineret. In quo officio non Politici tantum, sed & Theologi munia fideliter explevit, & tranquillitatem ecclesiæ, cum suo sæpe periculo & detimento, est tutatus. Nam & D. Alberti Hardenbergii, qui, ea ætate, in summo templo Concionatoris munere fungebatur, imposturas, intrepide detexit, easque, cum Johanne Timanno, verbi divini Ministro, & Johanne Rolwagenio, urbis Syndico, ingenti zelo cohibuit ac repressit, & famosi illi-

us Consulis, Danielis Burenii, ecclesiæ subdole sese
insinuantis, fraudes & molitiones in lucem protulit,
atque, in pleno Senatus Bremensis consessu, de errori-
bus Hardenbergii, jampridem discussis, & periculosis
Burenii technis, vere Calvinianis, conquestus, collo-
quium Brunovici Ao. cl^o LXI. impetravit, *in quo*,
teste Wigando de Sacramentariismo p. 387. b, *exposito*
totius causæ processu, & *rationibus gravissimis explica-*
tis, *Consiliarii & Legati Principum, & Statuum inferio-*
ris Saxoniæ, cum Theologis D. Paulo ab Eitzen, D. Chy-
træo, Morlino, Heshusio, Chemnitioque, pronuntia-
runt, ut Hardenbergius intra dies XIV. ex urbe Brema
discedat, nec ullam in ea urbe concionem amplius habeat,
nec usquam in toto inferioris Saxoniæ circulo deinceps
commoretur. Sed propter hoc decretum, Calvinianis
maxime invisum, orto apud Bremenses inter Buren-
ium & Tilingum majori dissidio, discedere hic coa-
ctus, Oldenburgum evocatur, ubi illustris Comitis
Consiliarius est constitutus, aggerumque judicio præ-
fectus. Observatu dignum est, quod in actis legitur,
Tilingum in ingenium & linguam suam dominium ab-
solutum exercuisse, tantaque ubertate doctrinæ Juridice
& Theologicæ, tanta etiam subtilitate fuisse instructum,
ut unus ille, omnibus Sophistis potuerit opponi, atque hinc
inlytum Comitem saepè dixisse: Ich habe an ihm einen
Mann/ der wol rathen/ wol schreiben/ und wol reden
kan. Et certe profusam Viri eloquentiam, solidam

eru-



eruditionem, & naturalem facundiam, Quantius & Meppelensis audiverunt, &, postquam res ad conflitum devenit, & in arenam descensum fuit, satis experti sunt, quantus esset Tilingius, qua animi fortitudine, qua fide, quo spiritu cœlestem veritatem asseruerit & defensitaverit, ita, ut omnibus fuerit admiratio. Longe sunt plura, quæ de Tilingii virtute & meritis referri poterant, quæ tamen intra hos cancellos constringi nequeunt. Dicamus de Tilingio, quod, teste Eusebio & Sozomeno, Constantius Chlorus, Imperator Ethnicus, de constantibus fidei assertoribus enunciaverat: *Tales viros in præcipuis, & maxime necessariis & familiaribus reponendos esse, & longe præferendos ærariis, quæ ingentibus thesauris sunt referta.*

§. X. De reliquis, qui congressum Jeverensem frequentarunt, STATIO REINKINGIO, Judice Provinciali, & THEODORO EYBENIO, sive EIBICHO, Quæstore Oldenburgensi, nihil in promptu mihi est, quod dicam. Nam, si ullum eruditionis historicæ genus à rerum Oldenburgium & Jeverium scriptoribus parce admodum exultum est, vitarum id certe recensionem esse, quisquis rem recto judicio consideraverit, ultro fatebitur. Illud tamen haut obscure ex actis colligitur, eos & ob eruditionem, & agendi prudentiam, illustri Comiti apprime charos fuisse. A contentionibus equidem & rixis politici, ut qui maxime, abstinuerunt, interim doctrinæ cœlestis purita-

tem, ab omnium pravarum opinionum, quocunq;
illæ nomine censerentur, corruptelis vindicandam ju-
dicarunt. Ambo enim in aulam & curiam Comitis
Oldenburgensis adsciti erant, & arcanorum consilio-
rum consci. Cui hominum generi, post Principem
ipsum convenit, affectu, cura, studio religionis since-
ritatem & complecti, & promovere.

§. XI. Destituor idoneis ad uberiorem enarratio-
nem monumentis: hinc, missis Viris politicis, eos ei-
narrabo, qui ex ordine sacro nostras partes Jeveræ for-
titer egerunt & tutati sunt. Assiduum disputationis
auditorem se præbuit *Johannes Homichius*, qui sacra
Jeverensia curabat ac moderabatur. Adfuisse & *Her-
mannum Accumensem*, qui iisdem temporibus litera-
rum amore Jeveræ degebat, acta commemorant.
Primas tamen hoc loco tenuit HERMANNUS HA-
MELMANNUS, Theologiæ Licentiatus, non tam
vulgo notus, quam eruditis concelebratus, qui, veluti
Atlas quidam, totam colloquii molem humeris suis
sustentavit. Pauca nobis de hoc Theologo, quod
dolemus, innotuerunt, nec plura, quam quæ seqvun-
tur, potuimus explorare. Memoriae tamen ejus, &
nostro denique officio, nos satisfecisse arbitramur, si
dixerimus: Virum fuisse, cuius eruditio, opera, indu-
stria, fides & constantia ecclesiæ plurimum emolu-
menti attulit. Dedit illum nobis urbs Osnabrugensis,
in qua Carolus, cognomine magnus, victor Saxonum,

epi-



episcopatum fundavit. Qui, cum in juventute Lutherum & Melanchthonem audisset, non tantum disciplinas liberales, sed & magna cura Theologiam didicit. Qvare Antistes ecclesiarum in Comitatu Oldenburghensi & Delmenhorstensi designatus est, & munus Episcopi Lutherani sedulo diligenterq; obivit, conciones magna gravitate & facundia habuit, contumaces objurgationibus, & verbis, ad severitatem compositis, taxavit, atque illorum vitia animo soluto ac libero, maximeque præsenti reprehendit, mœstrorum animos consolatus est, gregem sibi commissum curavit, & nihil prætermisit, quod ad animæ & corporis salutem pertineret. Fuit latine græceq; doctus, & in artibus dicendi ita exercitatus, ut disputando nulli cederet. Sed & in reliqua literatura, historica, genealogica, & ecclesiastica, quantus Vir fuerit, quantumq; rem literariam utilissimis scriptis promoverit, illustraverit, non potest ullo satis calamo deprædicari. Nemo hodie per totam vitam tantum veterum historicorum legit, quantum ille & scripsit, & accuratissimis judiciis ornavit, & vastis sæpe voluminibus exposuit. Loqvuntur illud codices manuscripti, qui in Bibliotheca Guelberytana insigni numero asservantur, magna sane diligentia, nec minori judicio elaborati, de rebus gestis in aula Clivensi, de actis ecclesiasticis in urbe Bergensi & Marchensi, de renato evangelio in ecclesia Wesaliensi, Lippiensi, Lusatensi, Os-

na-



nabrugensi, Monasteriensi, Alensi, Mindensi, Paderbornensi & Colonensi, de familiis illustrium, de rebus Gvestphalicis. Testantur illud libri commentarii de rebus Oldenburgensibus, nec non de traditionibus veris & falsis, de Patribus ecclesiasticis, eorumq; scriptis & erroribus, in quo patristico studio ita versatus erat, ut, si Chemnitium excipiamus, parem ea ætate non haberet. Quare magnam sui admirationem passim excitavit, nec minorem sibi apud evangelii hostes acquisivit auctoritatem. Qua sine si fuisset, non potuisse Ao. cl^o LXVI. frequentare colloquium Lemgaviense, cum erudito quodam ex Lucelburgensibus Viro, qui, ut autor est Wigandus in *Anabaptismo* p. 549. 589., isthoc Hamelmannum encomio ornavit: *audio, Te doctum & studiosum antiquitatis esse, & propterea à multis dici Patristam.* Profecto, non mihi haecenus per totam Germaniam, præsertim inferiorem & Phrysiam curfianti, contigit ex Patribus commodior, & ad rem ipsam accommodatior responsio, quam à Te. Et cum Lucelburgensis ille, cui Carolostadius commentis suis sive præverat, sive portas & fenestras bipantes aperuerat, nihil amplius in summo Viro desideraret, quam quod sibi nomen LICENTIATI, ut Papistæ nomina Magistri nostri sibi gloriose tribuunt, temere arrogaret, cum Christus dicat, unus est Magister, nolite appellari Magistri; è re sua esse judicavit, impactum sibi fastum his verbis à se removere: *quod objicis arro-*

gan-

gantiam, facis ex Tuo affectu. Christus ait: unus Magister, ut intelligatur, nos omnes pendere ab illo uno. Novisti, requirere Paulum tam à Diacono, quam Episcopo, ut ab exteris honestum habeat testimonium. Cum ergo mihi usurpo istum titulum Licentiati Theologiae, ostendo, me à piis & celebratissimis Ecclesiarum Doctoribus, & Academis, quæ matrices & seminaria Ecclesiae DEI sunt, honestum habere testimonium. Idem quoque Paulus dicit Eph. 4. Christum dedisse ecclesiae dona & Prophetas, & Apostolos, & Doctores & Pastores. Et quanquam Christus dicat Job. 10. Unus est Pastor, & unum ovile, tamen de aliis Pastoribus, quos ipse mittit, ait quoque Paulus. Plures ergo sunt sub Christo, quem Petrus Archi-Pastorem appellat, Pastores, ita & plures Doctores, qui ab illo docti sunt, & sub horum nomine comprehenduntur Licentiati. Quanta autem est illa animi intemperies, & prodigiosa libido convitiandi, cum personatus ille Petrus Warenborch ab Altenkirchen, in responsione Neostadiensi p. 3., Hamelmannum hominem μαρτυραν, Sycophantam, bestiam & arietem, impudenti calamo appellitare non erubescit? Tu, pie lector, memor judicii extremi, in quo non solum petulans & protervus calumniator, sed etiam, qui manifestæ calumniæ nimis faciles præbuit aures, poenas daturus est, non ex nuda accusatione obscuri tenebrionis, sed ex tot beati Viri scriptis, & sacris pro ecclesia laboribus de eo facito judicium. De secundi seculi Theologis EUSE-

BIUS, lib. IV. hist. Eccl. c. 24., erant, ait f. m. n. 8., tum hæretici, qui, in morem zizaniorum, sinceram Apostolicæ doctrinæ sententem vitiarunt, quos, pii ecclesiarum Pastores, tanquam feroes quasdam bestias, undique ab omnibus Christi sugarunt ac excluserunt, partim admonitionibus & adhortationibus ad fratres, partim ipsos hæreticos proprius aggressi, ac quæstionibus, nugarumque illorum subversiōnibus, in faciem absque scripto objectis, nonnunquam & scriptis commentariis, opiniones eorum per elenchos accuratissime redarguentes. Id quod tanta animi confidētia, tanto illibatae religionis amore, & propagandæ in ecclesia intemeratae veritatis studio, fecit Hamelmanus, ut nullis se à proposito periculis, nec morte ipsa pateretur deterri. Inveniuntur hodie proh dolor! Theologi ~~sacerdoti~~, Doctores Laodiceistæ, tepidi mercenarii, qui, officii sui immemores, lupum, gregi imminentem, non in clamitant, & errores fanaticorum vel admittunt, vel eorundem placitis tacite applaudunt, vel saltem eos exculpant, extenuant, vel certe non confutant, & severe arguunt, sed latis habent, pervermis intempestive cedere, adulari, omniaque in medio & incerto relinquere. Quod, ut homines fanatici communiter, ita nunc in primis faciunt Theologi Hallenses, &, qui illos seqvuntur, apud Helmstadienses, D. Joh. Fabricius: apud Altdorfinos, D. Joh. Mich. Langius: apud Parthenopolitanos, Joh. Joseph. Winklerus: apud Werbenses, Godofredus Arnoldus: pietatis & im-



impietatis socii , atque in pari jugo copulati . Non ita animatus erat Hamelmannus noster , quippe qui adversariis ne ad horam cedere voluit , sed omnibus corruptelis & erroribus semet fortiter objecit , & coelestem veritatem magno zelo afferuit ac propugnavit , & , quicquid ei adversum erat , toto animo aversatus est , improbabavit , graviterque cohibuit , eoque ipso effecit , ut alii , saniora edocti , erroribus nuntium mitterent , alii in eo veritatis tramite , quem semel feliciter ingressi erant , firmiter consisterent , neque ab eo , vel fanaticorum insidiis , vel alia aliqua ratione , se abduci paterentur . Quod certe vel unicum Hamelmanni exemplum movere debet Theologos illos politicos , quo minus Calvinianis Dogmatistis , & hominibus aperte fanaticis , vel latum unguem cedant . Cedendo enim & connivendo nunquam mitescit , sed semper magis ferocescit Satanus , & veritatis divinæ hostes , Christiq; perduelles , ista levitate ferociores in divexandis orthodoxis evadunt , & in horridis suis sententiis confirmantur , ecclesia denique universa , quam amphibii illi homines cessione ista & moderatione sua , se servaturos somniant , misere disjicitur , vastatur & evertitur : id quod non una historia ex sacris luculenter comprobatur . Sed ad Hamelmannum , strenuum illum religiosis nostræ vindicem , redeo , & in eo cetera quoque omnia adeo eximia fuisse sancte pronuntio , ut vix ullus hominum memoria inveniatur , in quem liberali-

us dona sua profuderit natura. Heroicum animo ejus robur instillaverat DEUS, ut, cum & ratio svadret, & necessitas imperaret, nullum conflictum detractaverit. Nam, qvum Meppelensis in tales angustias conjectus esset, ut, audita Theologorum nostrorum explicatione, ne contrahiscere quidem potuerit, Hamelmanno nihilominus ogganniret: *si Tu ires Genuam, vel Tigurum, vel Heidelbergam, & ibi cum Doctoribus, & Professoribus, & Pastoribus disputares, haberes, qui Tibi respondere possent, ille, nec Genevenses metuens, nec Tigurinos & Heidelbergenses reformidans, praesenti statim animo, & pectore vere martio, respondit: facerem, si istis mediis ad talem disputationem vocarer, vel pertraherer, sicut ad hanc, vobiscum Jeveræ habendam, vocatus & ordinatus sum. Nam, non pudet me evangelii.* Neque id incredibile videri debet in eo, cui nihil uspiam consignatum est literis, quod non legisset: nihil legisset, quod non memoria contineret, unde, tanquam ex promptuario aliquo, singula proferret, & suo quæque loco collocaret. Quamobrem siebat, ut in disputationibus, colloquiis, confabulationibus & collegiis Gellianis, cum antiquorum auctoritatibus decertandum esset, integras ex sanctorum Patrum, aliorumque Doctorum libris, paginas ita memoriter referret, ut, quod stupendum est, ne unam quidem syllabam peccaret. In quo AUGUSTI VARENII, augustissimi nominis Theologi Rostochiensis,



sis, gloriam adeptus est , quippe cuius memoria erat tanta, quantam in nemine, quem quidem ex Doctribus Academicis noverim , me vidisse & cognovisse memini. Totum codicem Hebræo - Græcum , cum omnibus, quæ extant, versionibus noverat , ut ejus non modo capita & commata , sed & commatum puncta & distinctiones , cum esset opus , admirabili laude memoriæ ex cathedra referret , id quod, juvenis ego, non sine stupore sæpius audivi. Talis qvum erat Hamelmannus, nullus fere fuit, eruditionis laude conspicuus, quocum illi aut amicitia non esset, aut usus literarum. Præcipue, à Johanne, Antonio, & Antonio Günthero, Comitibus Oldenburgensibus, permagni semper habitus , & ab aliis Viris Principibus, civitatibus & ordinibus , in consilium super ecclesiasticis negotiis haut raro adhibitus est, aut absens consultus. Ut vero hisce rebus immortalem sese & incomparabilem reddidit Hamelmannus noster, ita ejus duo in primis merita singularia in ecclesiam extant, quorum alterum, ut alia crebra & gloria certamina omittam , synodus Lemgaviensis est , supra à nobis commemorata ; alterum, colloquium Jeverense, ab Oldenburgensi Comite coactum , in quo talem se præstitit fidus Parastata , ut & puriorem doctrinam strenue defenderit, & eorum fraudes detexerit, felicissimeque profligaverit , qui cœlestem veritatem adulterare, perque horrendarum opinionum portenta Je-

veræ obrepere , atque eo ipso ecclesiæ pacem disturbare , simul & formam fidemque ejus contaminare , fuerunt adnisi . Qvo quidem pacto exploratæ ecclesiæ Jeverenses , & ab erronibus , quibus infectæ erant , repurgatæ sunt . Quin & eodem congressu effectum , ut omnis ista regio , corpus doctrinæ Oldenburgense unanimi consensu amplectetur . Longum foret , enarrare ceteras curas , negotia & occupationes , quas ille pro eccllesia subierit : unde etiam Oldenburgi , in qua per multos annos docuit , & populum in recta fide confirmavit , rexit & conservavit , tot laboribus defunctus , tot curis exhaustus , septuagenarius obiit , anno seculi Lutherani nonagesimo quinto .

C A P. V.

D.

ARGUMENTO ET PROCES- SU COLLOQUII.

§. I.

PROLIXIUS paulo , quam volui , longe certe strictius & brevius , quam debui , & rerum gestarum gravitas requirit , hactenus exposui initia , & quasi fundamenta colloquii Jeverensis . Nunc ad ejus materiam accedo , quam , à Japeto , Quantio & Meppelensi delineatam , Johannes Honnichius Hamelmanno transmisit . Præclare autem Tullius ait , magnorum Virorum congressus non debere esse vel mutos , vel de rebus inanibus & ludicris : multo minus Christianorum conver-
fatio



satio & congressus debet esse mutus, vel de rebus, aut inutilibus nugisque, aut etiam de malis, & ad pessimum finem directis: quandoquidem ipsorum est, meditari in lege Domini die ac nocte, seque invicem assidue verbo Domini erudire, admonere & edificare. Proinde nostrum erit, arduum illud ac grave argumentum enarrare, de quo Jeverenses disputandum censuerunt. Ex multis autem doctrinæ capitibus duo in primis erant, de quibus disceptabatur; unum, de *lavacro regenerationis*. Ex quo statim intelligitur, exorcisticis illis Jeverensium contentionibus non futilem quandam ceremoniam, sed præcipua cœlestis doctrinæ capita à Japeto, Qvantio & Meppeensi oppugnata fuisse; alterum, de verendo *cœnæ Dominicæ mysterio*. Hujus enim potissimum veritas illa ætate in controversiam vocabatur: & jam ante confabulationem Jeverensem, Ao. cl^o I^o LX. in colloquio Heidelbergensi, & Ao. cl^o I^o LXIV. in synodo Maulbrunnenfi, colloquendi hoc argumentum inter Lutheranos & Calvinianos fuerat. Unde & hodie ab Heideggero, Picteto, Wittio, Strimesio, aliisque Doctoribus Henoticis, pro tessera utriusque religionis, & objecto, de quo initio inter nos & Calvinianos concordia possit, articulus ille habitus, non quod solus ille sit, sed quod præcipius. Errores enim in ceteris quoque confessonis Augustinæ articulis Zwinglio-Reformatos fovere, eosq; captales: à nostris, præcipue Theologis Darm-
sta-



stadinis dudum est demonstratum. Debuissent certe verba testamentaria, cum sint verba ipsius Filii DEI, apud Jeverenses ab omnibus, in timore Domini, summa reverentia observari; sed nescio, quis malus genius sacrosancta illa verba, tanquam μῆλον ἔριδος, in contentionem deduxit, ut, quod debebat esse vinculum conjunctionis & confessionis, inde orta fuerint turpissima certamina, & horrendae altercationes.

§. II. In processu & forma colloquii hoc maxime usurserunt Oldenburgenses, ut nihil tumultuarie, omnia vero ordine & decenter peragantur, tum etiam disputaturos, in primis Japetum, Meppelensem & Quantum hortati sunt, ut absque pervicaci rixandi studio, modeste & placide inter se collatis argumentis, hunc unum sibi scopum utrinque praefigant, ne sagittas circa veritatem ejaculentur. Quibus ita compositis, cum nihil restaret amplius, nisi ut, collatis minus signis, adversæ acies concurrerent, in ipsam palæstram disputatoriam, quam illustrissimus Comes in arce Jeverensi esse voluerat, deuentum est. Dies, disputationi dictus, erat mensis Aprilis quartus A. cl^o I^o LXXVI., sed, impetrata ab illustri Comite potestate, nescio ob quas causas, mense ejusdem anni secundo, statim factum est initium disputandi, & quidem à Japeto. Materia confabulationis de exorcismo erat, quem ille virulenter oppugnabat, atque modis omnibus abrogatum cupiebat, ex eo capite, quod Apostolis non fuerit



fit in usu. Ad hæc Hamelmannus regerebat, permulta in ecclesiis extare, sacris literis non contraria, quæ Apostolorum ætate non fuerunt, satis autem esse, quod ritus exorcizandi paulo post Apostolorum tempora, & quidem ex Apostolica de efficacia baptismi doctrina, originem traxerit. Excipienti postea Japeto, nec loca Patrum de exorcismo occurrere, responsi hoc datum est ex Augustino: *neminem, ex parvulis aut juvenibus, ad regenerationis venire sacramentum, nec prius fontem vitae adire, quam EXORCISMIS & exsufflationibus Clericorum, spiritus ab iis immundus abigatur, ut tunc vere appareat, quomodo Princeps mundi mittatur foras.* In exorcismo enim omnino apparet, quomodo Princeps mundi foras mittatur, cum eum in finem ritus ille prius adhibetur, quam baptismus peragatur, ut Patrini, & qui cum illis adsunt, animadvertant, infantem per lavacrum aquæ à potestate Satanæ liberari. Atque hinc exorcismo, præsertim si eum, ut ritum ecclesiasticum, à baptismo abstrahamus, vis abigendi immundum spiritum nequaquam tribuitur, cum in exorcismo spiritui immundo tantum denuntietur, ut egrediatur ab infante, in baptismo, jam jam ipsi impertiendo. Concludamus hanc materiam, nullis difficultibus obseßam, verbis Johannis Hallei, Cancellerii Oldenburgico-Jeverensis: *Male argumentantur Calviniani ab exorcismo Papistico ad Lutheranum. Quid ad nos Exorcista Papistarum? Nos adhibemus exorcismum,*

k

mum,



mum, ut picturam tyrannidis Diaboli & efficacie baptis-
malis. Esto, quod talis ritus non sit à Christo mandatus;
ostendendum, quod sit prohibitus. Ergo est res adiaphora,
& testimonium libertatis OLDENBURGICÆ.

§. III. Inde dislerere cœpit Japetus de sacramento
altaris, sed minori cum contentione, quod fraudes &
sophisticationes Viri manifestiores essent, quam ut
possent argumentis, aut alio honesto scheme fucari.
Præcipue, ipsum S. Cœnæ sacramentum aggressus, ver-
ba, quibus Christus Dominus & Servator noster in
institutione usus fuerat, non ita, ut sonant, & super
ea mentis humanæ conceptus naturaliter fertur, sed
figurate & tropice accipienda esse, statuebat. Hic Ja-
peti fuerat, in primis sacræ scripturæ effatis assertionem
suam confirmare, cum nescio ad quas ratiunculas ille
divertebat. Causabatur, propositiones sacramentales
non esse personales. Quid tum postea? Nec Hamel-
mannus hoc inficiabatur; interim, modum præsentiaæ
corporis & sanguinis Christi, exemplo copulationis
duarum in Christo naturarum, docte illustrabat & de-
clarabat, in quo certe multos excellentes Doctores ex
erudita antiquitate fecutus est, Justinum, Cyprianum,
Augustinum, Leonem, Gelasium, Chrysostomum,
qui, hac ipsa similitudine, mysterium sacramenti Cœnæ
Dominicæ explicant. Docent enim, quantum ex
solida declaratione formulæ concordiae p. 735. intelligo,
quemadmodum in Christo duæ distinctæ, & non mu-
tatæ



tatæ naturæ inseparabiliter sunt unitæ: ita in sacra cœna, duas diversas substantias, panem videlicet naturalem, & verum naturale corpus Christi, in instituta sacramenti administratione, his in terris simul esse præsentia. Quod tamen non ita est accipiendum, quasi unio hæc corporis & sanguinis Christi cum pane & vino sit personalis unio, qualis est utriusq; naturæ in Christo; sed est unio *sacramentalis*, uti eam purior ecclesia appellavit, ab imaginaria, & mere significativa, quam maxime distincta, adeoque vera & realis conjunctio, per quam contingit, ut una cum pane & vino, à quolibet Communicante, corpus ipsum, & sanguis JESU Christi revera, & citra mentis cogitationem accipiatur.

§. IV. Est vero hæc doctrina, de collatione unionis sacramentalis cum personali, quam, præeunte Patrum choro, Hamelmannus in colloquio Jeverensi propugnavit, sudes præusta in oculis Calvinianorum: proinde in *admonitione Neostadiensi c. 9.* eandem exagitant, & variis cavillis & sophistificationibus elidere & labefactare student, clamantes: *hoc pacto confundi duos distinctos articulos, de persona Christi, & de cœna Domini.* Verum, vanitas hujus cavilli facile patet, si illud duntaxat attendatur, accommodationem istam fieri, & à veteribus factam esse, non ἀπλῶς, sed *narrat* rī, salva nimirum modi unionis diversitate, opposita modo Arianis, modo Nestorianis, modo Eutychianis,

modo Valentinianis, modo aliis hæreticis, veritatem alterutrius naturæ negantibus. Ac, si confusionem horum articulorum Calviniani tantopere abhorrent, cur quæsto ipsimet eosdem proterve confundunt? ecur pro asserenda *āπστολος* corporis & sanguinis Christi in cœna, ex tremendo illo mysterio de persona Christi, cum Qvantio & Meppelensi hodienum argumenta mutuantur? & præsentiam rerum cœlestium pugnare clamitant cum ascensione Christi in cœlum, cum sessione ad dextram, cum reditu ad judicium, cum proprietatibus veri & naturalis corporis humani? ex Strimesio, Heideggero & Picteto subinde oggerentes, verum corpus humanum esse haut posse, quod simul & semel in coelo, in terris, in cœna ubique præsens adesse statuatur.

§. V. Sed proprius ad rem accedamus. Quæ Iapetus obstare opinabatur, quo minus propositiones istæ: *hic panis est corpus Christi, hoc vinum est sanguis Christi*, conferre recte possint cum his personalibus: *bis homo est DEUS, DEUS est homo*, illa eo tendebant: nimirum, in prædicationibus personalibus non naturaliter disparatam abstractam prædicari de natura dispartata, itidem abstracta, sed concretam de concreta: non licere dicere, natura Christi divina est natura humana, vel contra: natura Christi humana est natura divina, sed fas esse, tantum affirmare: *DEUS, & filius DEI est homo, & rursus: hic homo est DEUS, & filius DEI.*
Sed



Sed scire debuisset bonus ille Japetus, in sacramentalibus etiam propositionibus prædicari suo modo concretum de concreto, non naturam disparatam abstractam de natura disparata, itidem abstracta : & sicuti nefas duco, affirmare : natura Christi humana est natura ejusdem divina, ita nec dicere par est: natura hujus panis est natura corporis Christi , sed hoc tantum adserere licitum est & concessum , hic panis est corpus Christi. Præterea, cum panis dicitur corpus Christi, non intelligitur panis communis , sed panis , in quo actæ sunt gratiæ , & qui post consecrationem eucharistia est , rebus duabus , terrena & cœlesti , constans. Communis enim panis tantum denotat panem , & tam est abstractum quid à corpore Christi, quam natura divina est abstractum quid à hypostasi τὸ λόγος , & humanitate in ea subsistente. Panis autem , in quo actæ sunt gratiæ , sive panis benedictus , præterquam quod panis est , connotat etiam rem cœlestem , hoc est , corpus Christi , pani sacramentaliter unitum , & quandam analogiam habet cum voce DEUS , quæ hypostasin , & consequenter humanitatem , in ea subsistentem , respicit ac notat. Panis autem sic sumtus , in ordine ad corpus Christi , non est natura disparata abstracta à corpore Christi , sed concretum quid ex pane & re cœlesti , hoc est , ex pane & corpore Christi. Quæ sane interpretatio nostra , non mere philosophica est , aut loquaciter litigiosa & nova , multo mi-

nus in cerebro nostro, heri, aut nudius tertius conficta, sed ad stipulatorem habet magnum ecclesiæ nostræ Doctorem Gerhardum. Quemadmodum, inquit ille in Loco de Cœna §. 137., in abstracio divina natura non prædicatur de humana, & contra: sed tantum in concreto; ita quoque de pane eucharistico non simpliciter & absolute prædicatur, quod sit corpus Christi, sed in unione & usu sacramentali. Et tantum de propositiōnibus sacramentalibus: panis eucharistiæ est corpus Christi, vinum eucharistiæ est sanguis Christi. Quarum declarationi, ad similitudinem enunciationum personalium, filius DEI est homo, & hic homo est filius DEI, ab Hamelmanno institui solitæ, nihil obesse, quæ à Japeto objecta sunt, ex dictis constare putamus.

§. VI. Pergendum est ad sequentes confessus, in quibus contra exorcismum cœperunt argumentari Conradus Qvantius & Johannes Meppelensis, *homines*, ut acta habent, *intus & in cute Calviniani*. Hi, quamvis variis ingenii dotibus excellerent, eas tamen extantioribus vitiis foedabant. Neque enim veritatis studio ducebantur, ut in exorcismum tantopere irruerent, & ecclesias Jeverenses hoc ipso disturbarent, cum multa indicia bonitatem causæ suspectam dederint: sed, uti colligo, præmiorum ostensione à Bremensibus allecti, in hoc prælium descenderant, æque alias pro Oldenburgensibus & Jeverensibus militaturi, si spes null-



numi affulsiſſet. Hinc illud conſequebatur, ut ſepiſſime, cum alia elabendi rima non pateret, crambem, decies coctam, ad nauſeām recoquerent, omnia miſcentes, ſingula perturbantes, clara obſcurantes, in ſepiæ morem, quo ſecurius laterent, aut, ab Hamelmanno aperte convicti, ſuam potius ſententiam con- torquerent, quam viētos ſeſe faterentur. Nihil enim fe- rebant ægrius, quam vinci argumentando. Inprimis vero, omnes nervos ingenii eo convertebant, ut quo- quo modo sacramentum altaris labefactarent, imo e- verterent, & quidem ex ratione, & iſpis verbis iſti- tutionis, ſophiſtice petitiſ argumentationibus. Nemo noſtrum adeo bardus & stupidus, aut plane iſtanuſ fuit, qui Christi corpus in cœna, vel localiter adedde, vel cum pane illud conſubſtantiali, aut, ullo alio mo- do physico, uniri ſcriperit, aut docuerit? vel, qui dentibus illud devorari, conteri, masticari, in chylum & ſanguinem converti, vel per febrim aut ſomnum, statuerit? vel, qui extra sacramentum, corpus Christi in omnibus locis localiter expaſsum, aut in creaturis localiter extare, crediderit? Attamen, hanc atque ali- am conviutoriūm farraginem Calviniani Jeverenses non in doctrinam tantum, ſed in iſpum etiam Christum, Salvatorem noſtrum, evomuerunt. Adſunt alia, ac multo plura Calvinianæ doctrinæ emblemata, quæ ſi quis recenſere velit, integrum Iliada conſcribere ne- ceſſe habeat; phraſium faltem faciam mentionem,

qui-



quibus Qvantius & Meppelensis, ecclesiis Jeverensibus, in publico congressu, litem movere, atque suam, de figurata & tropica verborum Christi expositione, ejusdemque corporis & sanguinis à Cœna Dominica absentia, sententiam perorare, haut dubitaverint. Nimirum, docuerunt, scripsérunt, & in eruditorum confessu, omni pudore projecto, clamarunt:

I. *Dissentire Evangelistas in verbis institutionis, ad eoque natura τοῦ πντοῦ, & absque tropo, eadem non posse intelligi aut explicari.*

II. *Naturam sacramentorum, quæ sunt signa gratiæ, hoc non ferre, ut in iisdem præsens sit corpus.*

III. *Præsentiam corporis Christi in cœna, papisticum idolum, & artolatriam stabilire.*

IV. *Articulum ascensionis, sessionis ad dextram, redditus ad judicium, & naturam veri corporis impedire, quo minus credendum, Christi corpus esse in cœna.*

V. *Christum dixisse : hoc facite in mei commemorationem ; proinde, ibi non esse corpus Christi, tanquam rem ipsam, ubi duntaxat est memoria.*

VI. *Christum in prima institutione, cum nondum dedisset corpus suum in mortem, nec dum effudisset sanguinem, non potuisse corpus suum & sanguinem dare discipulis edendum & bibendum.*

VII. *Patres primitivæ ecclesiæ non dicere : Christum, ipsum corpus suum, sed figuram duntaxat corporis sui dedisse discipulis ; id quod etiam Philippum Melanchthonem in suis scriptis propugnare.*

IX.



XIX. Christi corpus semper esse *visible* in terris, ad eoque non esse in coena.

IX. Fidem, nihil, adeoq; nec Christi corpus, *præsens* habere, sed *tantum futura* expectare.

X. Inter Lutheranos & Calvinianos *dissidium* esse sacramentarium, non de *præsentia*, aut re ipsa, sed de *præsentia modo*.

XI. Mandu^{cationem corporalem}, nihil differre à *Carnalitatem*.

XII. Corpus & sanguinem Christi, esse *res spirituales*, quæ fide accipiuntur, non ore.

XIII. Inutilem esse mandu^{cationem corporalem}, & ecclesiæ plane ignotam.

XIV. Mandu^{cationem corporalem}, in ecclesia non esse *urgendam*, sed *spiritualem* illam, quippe quæ hominem meliorem facit.

XV. Christi corpus, cum non sit *in inferno*, non posse esse ubique.

XVI. Impios, nec *corpus*, nec *sanguinem Christi* edere vel bibere, cum non manent in Christo.

Sed longum est, hoc loco non modo singulos, sed præcipuos saltē Dipnosophistarum Jeyerensium flosculos commemorare: qui, præterquam quod in gratiam Sacramentiorum Bremensium, scripti & conficti erant, insuper manifeste pugnabant cum divinis pandectis. Id quod Hamelmannus evidentissime commonstravit, & contrariam sententiam fortiter

ter afferuit, & per totum colloquium, ore calamoq;
repetivit.

§. VII. Convocata ergo synodo Jeverensi, ne res ecclesiasticae in dies in dererius laberentur: Burchardus Steinbergius, Johannes Halleus, Hermannus Hamelmannus, Johannes Honnichius, Henricus Tilingius, Statius Reinkingius, Theodorus Eybichius, & Hermannus Accumensis, capita errorum proposuerunt, sententias rogaverunt, lectis, collatis, ponderatisque singulis, Quantum ac Meppelensem ad palinodiam hortati sunt, vocum & phrasium novitates fugere jussierunt, utpote ab inanis gloriae cupiditate proficiscentes: præterea, omnis haereseos patrem, monstrarunt esse inscitiam; matrem, pertinaciam Calvinianam, quin & Quantum ac Meppelensem interdum se ipsos, obliqua disceptatione, prodere atque aperire, ostenderunt, modo rursus se obscurius involvere sermonibus, atq; his, seu involucris, & nebula caliginosarum phrasium, virus suum occultare. Postremo, sæpiissime submonuerunt; caute, pie, reverenter, ac sobrie tractandam esse de sacra Domini cœna doctrinam, nec arroganter & temere omnia præcipitanda, & sine præmeditatione effutienda.

§. IIX. Commones factio[n]es istæ Consiliariorum, Quantio & Meppelensi oblatæ, adeo non flexerunt horum animos, ut etiam majores darent turbas, atq; arma sua in ipsum Hamelmannum expedirent, orthodo-



dōxam doctrinam, quibus possent occasionibus, criminarentur, omniq; convitiorum genere proscindent. Ea est enim ambitiosorum hominum natura, ut ne quidem sobrias superiorum admonitiones ferre possint, sed, admoniti dē erroribus, prorsus in rabiem agantur. Posteaquam igitur autoritate, existimatio-
ne, & eruditione Hamelmanni, graviter se premi sen-
tirent, ac suo honori, & pastorali officio metuerent,
animum adjecerunt ad usitata Calvinianorum artifi-
cia, sophisticam puto, detorsiones, injurias, & vocum
perplexitates, quæ modo veram præ se ferrent sen-
tentiam, modo post longas ambages blasphemias ef-
funderent manifestas. Ne tamen, siue aliquo religio-
nis prætextu, vermiculosam, & plenę desperatam Cal-
vini causam agere viderentur, Patres, & Doctores
primitivæ ecclesiæ in ore habebant: qui, cum de *figura & significatione corporis Christi in cœna*, haud raro
scribant & loquantur, horum sese Patronos & defen-
sores plenis buccis jactitabant; contra vero, Luthera-
nos Patrum rejectionem moliri, antiquos supplanta-
re, veteresque antiquare, oratione plausibili, nec adeo
jejuna, ad plebem proclamabant.

§. IX. Hamelmannus, partim amicorum rogatu,
partim erroribus Qvantii & Meppelensis adductus,
denuo illos hortatur: ut, missis erroribus, & scriptu-
rarum detorsionibus, sanam doctrinam defenderent:
unum exorcisi ritum vocari in controversiam, la-

girentur piam, & veterem illam consuetudinem ecclesiastum tranquillitati, nec pergerent Christi praesentiam in coena negare, fidem quandam volatilem defendere, & mandationem sacramentalem appellare capernaiticam lanienam, fugiendam omnem esse ~~univocationem~~, & phrasin ecclesiæ summo studio retinendam. Cum hanc quoque commonefactionem in sinistram raperent partem, respondit Hamelmannus, se non frangi haereticorum pertinacia, aut falsorum fratrum odio, sed iterum se monere, ut, missis, rejetis, & abjuratis Calvinistarum erroribus, in viam redant, ordinationi ecclesiasticae subscribant, libros scripturarum sine præjudicio legant, Patrum scripta majori studio & judicio evolvant, dicta veterum accuratius ponderent, intra metas eorum sese contineant, & phrases, ab ipsis juxta normam verbi divini usurpatas, nequaquam negligant, aut aspernentur. Ac cum jam vereretur Hamelmannus, ne Qvantius & Meppeleensis, ambitione, loquaci sophistica & stolida jaetantia, etiam alios incautos coetus divinioris ministros circumvenirent, & ecclesiam Jeverensem majoribus rixis perturbarent, & distraherent, ad confutationem errorum, quos supra in §. VI. enumeravimus, semet accinxit, & omnia illa dicta obelisco notavit, quibus callide & malitiose, ad stabilienda somnia sua, abutebantur. De his capitibus omnibus, cum hodie renovata sint certamina atrocissima à D. Samuele Strieme-

mesio, Professore Francofurtano, & ecclesiae suæ Pastorē, nihil credo, gratius, nihil optatius accidere piæ menti potest, quam copiosam, in Hamelmanni responsionibus & elenchis, rerum sententiarumque enarrationem ex pia & docta antiquitate, & purissimis sacrarum literarum fontibus, haurire.

§. X. Et primo quidem, Hamelmannus in defendendis verbis institutionis occupabatur, quæ sunt fundamentum *āuerāntorū*, fundamentum inquam constitutionis & confirmationis, & principium πρῶτον ἢ ἀμετον, adeoque αὐτόνιον ἢ αναπόδειλον, καθ' αὐτὸν ἢ καθόλας, ē quo controversia hæc sacramentaria apud Jeverenses unice erat dirimenda & dijudicanda. Oggerebant Quantius & Meppelensis, veterem subinde coccyfum repetentes: non extare constantem & unanimem quendam consensum inter Evangelistas, in recitatione verborum, quibus hoc sacramentum sit institutum, atque ideo verba illa proprie & simpliciter accipienda non esse, quantumvis sententiam gignant Lutheranis congruam & acceptam, maximeque collaudatam. Quo argumento, illud præcipue intendebant, ut simpliciores, à veritate ad errorum præcipitia abducerent, & verba testamentaria ex oculis Jeverensium removerent, tanquam spiritualis intellectus remoras ac impedimenta, donec, quid de sacra synaxi statuendum sit, aliunde constituatur. Non incognitæ erant artes istæ & insidiæ Hamelmanno, quippe

qui facile intelligebat , talem inquisitionem doctrinæ de cœna , extra verba institutionis , revera esse deceptionem expeditissimam , & foecundissimum quodam corruptelarum seminarium , quamobrem statim submonuit , & studiosissime inculcavit : ex hac , vel illa verborum apud Evangelistas discrepantia , nequam consequi : verba testamentaria per tropos , & figuratas significaciones , in aliam , & cum pugnantem sententiam , esse detorquenda , sed τὸ πνεῦμα verborum institutionis perpetuo ac constanter retinendum , tanquam unicam regulam , & infallibilem quandam normam declarationis veræ & genuinæ sententiæ , perinde atque pia antiquitas , his quoque usa , innixa fuit , contra omnes errores Sacramentariorum . Illud equidem facile largiebatur Hamelmannus , tres Evangelistas , qui diversis temporibus , & diversis in locis , sua scripta consignaverunt , historiam institutionis paululum variatis , & permutatis verbis referre , id quod , certo Christi consilio , dubio procul factum est , ecclesiæ nimirum in summa hujus rei tanto magis confirmandæ causa , ut proprius , perspicuus , simplex ac disertus sensus colligatur , atque τὸ αὐτὸν sanciatur ; Philip. III , i. negabat tamen , ac pernegabat , in hac transpositione verborum , fieri , aut factam esse mutationem sensus verborum ; ita , ut σημασία , & interpretatione Calvinianorum Jeverensium confirmetur , aut metonymica quædam significatio absentis corporis &

& sanguinis Christi substituatur. Ut ut enim de sanguine Christi paulo aliter loquuntur Matthæus & Marcus, aliter Lucas, si ipsorum verba spectemus, tamen, si ad sensum, & rem significatam respiciamus, idem plane sentiunt, & dicunt omnes, atque eo pariter collineant, ipsum Christi sanguinem, non ejus signum, tantum esse, quod gratiis actis, bibere de poculo jubemur. Et illi quidem verbis conceptis id enunciant, dum Christum, accepto poculo, & gratiis actis, dixisse referunt: *Hoc* (intellige, quod de poculo hoc vos bibere jubeo,) *est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur,* & quidem, ut Matthæus subjicit, *in remissionem peccatorum.* Hic vero, et si cum Paulo de poculo in casu recto pronunciet, *quod sit novum illud testamentum,* attamen per adjectum *προσδιορισμὸν:* *ἐν τῷ οὐαὶ ἀματι, in meo sanguine;* non in alio constituunt causam, quamobrem id novum testamentum sit, quam in sanguine Christi, quo illud testamentum novum sanctum est, præpositione *ἐν* pro dia positâ, & causam denotante, ut novum testamentum sit & dicatur *per*, vel *propter* sanguinem Christi, qui est sanguis ille novi testamenti: quia, quod de eo bibitur, est ille Christi sanguis, qui est sanguis novi testamenti, effusus pro multis, in remissionem peccatorum, ut Matthæus & Marcus dicunt. Sanguis Christi ergo, et iam juxta Lucam, bibitur de poculo hoc, qui proinde, dum poculum hoc dicit novum illud testamentum



tum in sanguine Christi , implicite , & quoad rem etiam fatetur : hoc , quod de poculo illo bibitur , esse sanguinem Christi , qui est sanguis ille novi testamenti . Quo faciunt etiam verba , à Luca subiecta , τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον , pro vobis effusum : quæ si , ut constructio Grammatica requirit , ad poculum referantur , dicitur poculum hoc , effusum pro nobis , sensu eodem , quo *novum testamentum* dicitur , nempe , quod sanguinem Christi , qui est sanguis novi testamenti , pro nobis effusum , contineat , ut verba prædicta : τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον , ad verba Christi tandem deveniant , cui , pro nobis effusum esse , proprie & formaliter convenit . Quæ certe ita comparata sunt , ut Apustistarum Jevenensium σημασία , tanquam fulmine quodam , prosternant , eamque , ut falsam & erroneam , & intentioni Evangelistarum plane contrariam , redarguant ; contra vero , horum consensum omnibus modis evincant & commonstrent . Addo etiam hoc , Matthæum , institutionem ex ipso ore Christi audivisse , Marcum vero , atque Lucam , ab iis , qui à principio spectatores & Ministri sermonis Christi fuerunt , hoc est , Apostolis , neminem tamen tantæ fuisse audaciæ , ut , cum Quantio & Meppelensi , seraphicam illam , si Diis placet , glossam posuerint ; hic panis σημαῖνει , significat corpus meum , vel : est signum , aut figura corporis mei , ut , quemadmodum ore percipitis panem , sic fide , non etiam ore , manducetis corpus meum . Tacuerunt de tali



tali metonymia Calvinistica omnes, nec quisquam illorum, non ipsum corpus & sanguinem Christi edi ac bibi, in narratione institutionis vel verbo significavit; è contrario omnes uno ore, & unanimi consensu, tradiderunt & repetiverunt testamentum Christi, & in repetitione usi sunt vel iisdem plane, vel æquipollentibus verbis, vel quædam insuper addiderunt, quæ adhuc clarissimam propriam, simplicemque verborum sententiam confirmaverunt. Sed Calviniani, manifestæ falsitatis convicti sunt sua πολυτελία, dum varias, & numero fere inumeras interpretationes verborum Christi confinxerunt: quod erroris evidentissimum argumentum est, & infallibile spiritus vertiginis indicium.

§. XI. His immotis sententiæ nostræ jactis fundamentis, proximum est, ut congressum Jeverensem persequamur: &, qua fide in explicando nostro mysterio Antagonistæ Hamelmanni porro versentur, candidate aperiamus. Apponebant illi, uti jam dictum, crambem, centies coctam, ludentes vocabulis signi & testimonii, ac veterem subinde recoquentes παρέλεγχον: dum ex eo, quod sacramenta sint signa gratiæ, absentiam corporis & sanguinis Christi in cœna sophistice colligerent ac inferrent. Et certe, nisi cum gente sacramentaria, Quantius & Meppelensis profungis & stipitibus habuissent, quotquot Hardenbergii & aliorum abominationibus fidem dare recusabant,

m

nun-



nunquam profecto coccysmum illum, ad dogmatis sui confirmationem, in medium attulissent. Tam enim illustre est illud ratiocinium, à *signo* desumptum, ut nos, ex nostra parte, ambabus, quod ajunt, ulnis id acceptemus, acceptatum ad Sacramentariorum structuram evertendam, etiam atque etiam urgeamus, cum Hamelmanno intrepide asserentes: *argumentum illud est pro nobis.* Concedimus enim, atque cum Hamelmanno nostro, ultro largimur: sacramenta, & esse, & ab antiquis ecclesiæ Doctoribus appellari *SIGNA*, non vero signa *χειρὶς* tantum, vacua, nuda, aut inania, & mere significativa; aut, quod signata sint absentia, quemadmodum Quantius murmurabat, sed, quod sint signa *προσφερόμενα* & *διαδοτικὰ*, atq; invisibiliter præsentia. Ex signo enim invisibilitas, nequaquam vero absentia corporis infertur, cum *signum*, Augustino finiente, sit res *præter speciem*, quam ingerit *sensibus*, *aliquid aliud in cogitationem ex se venire faciens.* Sufficit ergo, ad signandi rationem, ut res signata externis sensibus non sit obvia, si vel maxime præfens adsit. Columna nubis & ignis erat signum DEI gratiose præsentis, & columba signum Spiritus sancti descendenter, nec tamen vel à columna, vel à columba DEUS aberat. Sic & externa symbola in sacramento, non sunt absentis corporis & sanguinis Christi significativa, sed, Hamelmanno dicente, præsentis exhibativa: qualia signa Höpfnero, Rappolto, & aliis eu-

cha-



charistiae defensoribus, propterea COMPLEXA appellantur. Manet itaque immotum hoc Hamelmani fundamentum: aut rem signatam vere præsentem cum symbolis exhiberi: aut symbola, respectu rei signatae, esse signa vacua, nuda & inania. Evidem, Jeverenses illi disputatores videri & argui solebant, se se nuda & inania signa, etiam respectu rei signatae, statuere. Necessæ igitur erat, ut faterentur, rem ipsam signatam, quæ est corpus & sanguis Christi, vere præsentem cum ipsis symbolis exhiberi, accipi & dispensari. Sed illi, cum Hamelmanno iisdem terminis utebantur, sed longe alia in significatione. Dum enim rem signatam percipi à credente fatebantur, non id agnoscebant, rem signatam, quæ est corpus & sanguis Christi, vere præsentem exhiberi, & sic vere præsentem exhibitam accipi & manducari: sed hæc omnia restringebant ad fidem, & spiritualem unionem cum Christo: quam, ut nemo cum Hamelmanno negabat, ad salutarem & vivificum hujus sacramenti usum esse necessariam: ita, sacramentalem unionem à fide nostra dependere, recte negabatur.

§. XII. Illa vero cavillatio, & calumniandi libido, quia tenuis erat, pellucebat, qua cum Quantio Mepelensis jactitabat, Oldenburgenses, propugnantes realem & substantialem præsentiam Christi in coena, stabilire eo ipso Papistarum idolum, & horrendam quandam missæ idololatriam. Nam ipsimet probe nover-

rant, Oldenburgenibus talem affingi sententiam, quam ordinatio sis liber ferre non possit. Neque enim illi affirmabant, multo minus publico quodam scripto declarabant, panis essentiam in corpus Christi essenti-aliter transmutari, vel saltem consubstantiari, ita, ut una panis & corporis Christi sic substantia, nec panem sic vel transsubstantiatum, vel consubstantiatum, dice-bant offerendum D E O Patri in sacrificium, aut ado-randum, &, nescio in quos alios usus, asserendum: sed, panem & vinum in S. Cœna substantiam & essen-tiam suam prossus immutatam retinere, unanimi con-sensu edisserebant, dictabunt & eloquebantur. Ad-eoque hoc absurdum, & impium μετσοτας & συντοτας con-mentum toto pectore aversati sunt Oldenburgenes, & aversantur hodie, quotquot Lutheri sunt discipuli & sectatores. Non equidem inficiar, adhibuisse or-dinationem Oldenburensem tales particulas, quibus purior etiam antiquitas, in hac doctrina, citra ullam aliorum contradictionem, aut calumnias, est ufa, nem-pe : corpus Christi IN, SUB & CUM pane, certo & vere præsens esse, & cum benedicto pane præsens dis-tribui, & ab omnibus sumi. Sed hisce phrasibus ne-quaquam præsentiam loci ad locatum, aut corpora-lem aliquam coexistentiam, occultationem, sive im-panationem, & localem inclusionem corporis Christi in & cum pane confinxit, quemadmodum ignomi-niose & contemptim, in odium ecclesiarum Olden-bur-



burgico-Jeverensium, Hardenbergiani fabulabantur, sed candida hac simplicitate, præsentiam rei illocalis sub dispositione & ordinatione divina incrustabat, quam si credidissent Zwingiani, ecclesia ab ipsis phrasibus ultrò abstinuisse, neque de verbis λογοπαχτιαν aliquam inovisset: quemadmodum divus Lutherus tradit in stereomate eucharistico, quo libro hoc fidei caput & solide perquisivit, & diserte explicuit, & contra Sacramentarios aciter propugnavit & defendit. Ac, si usus particularum illarum, & in primis particulæ IN, de qua Jeverensibus præcipuum negotium erat, non est exhibitus, sed inclusivus, ut localem quandam, crassam & physicam inclusionem corporis & sanguinis Christi, in symbolis eucharisticis, statim inferat: quomodo ab eadem accusatione, & crassis illis cogitationibus securus erit ipse Spiritus sanctus, quando DEUM IN omnibus, IN nobis, & Patrem IN filio, & filium IN Patre esse, vere non minus, quam emphaticè testatur? *i. Cor. III, 16. Eph. IV, 6. Joh. XIV, 10.* Proinde figmentum papisticum, Hamelmanno & ceteris Oldenburgensum Doctoribus falso adscriptum, Diphnosophistis Jeverensibus remittimus. Interim tamen cum pia antiquitate, & Patribus purioris ecclesiæ intrepide docemus & affirmamus, IN, SUB, CUM pane (hæc enim vetustatis orthodoxæ, non Oldenburgensum, aut ab Hamelmanno excogitatæ, multo minus ex inferno profectæ sunt phrasæ, quem-

m. 3.

ad-



admodum Alastor ille Jeverensis Matthias Syllius, im-
pio ore eructabat,) LATERE occultatum corpus
Christi , siquidem non videtur , sed creditur ; quod
perinde est , ac si dicatur , latet occultatum , seu , ut
Augustinus loquitur , *pane opertum est* , nimirum my-
stico , & incomprehensibili quodam modo : qui mo-
dus , cum negatione impanationis , nullam contradic-
tionem includit , quod in verbo Domini recte insti-
tuti , facile intelligunt.

§. XIII. Ex hoc præsidio dejecti Jeverenses Anti-
Lutherani , cum , quid Hamelmanno opponerent,
non haberent ; mox , mutata sede belli , in analogia
fidei , & articulo de persona Christi , receptum quæsi-
verunt , subinde scriptitantes : Christi corpus , salvis
proprietatibus veri corporis , salvo etiam articulo a-
scensionis , & sessionis ad dextram Patris , ut quæ cer-
tus cœli locus sit , nullibi in terris , & sic , neque in sa-
cramento eucharistiæ , esse posse . Portentis hisce ob-
viam iturus Hamelmannus , utrumque hoc sibi in hac
palæstra deinceps præstandum esse perspexit : nimi-
rum , non modo veram & realem præsentiam corpo-
ris & sanguinis Christi in coena , ex verbis institutio-
nis demonstrandam : sed & ex eodem articulo , ex quo
arma mutuabantur Jeverensium turbatores , osten-
dendum , neque proprietates veri corporis , per præ-
sentiam illam sacramentalem , tolli aut aboleri : neque
etiam ascensionem in cœlos , aut sessionem ad dex-
tram



tram Patris, aut redditum ad judicium, præsentiae illi obstatere. Nam, quod primum attinet, bene & sapienter submonebat Hamelmannus, corpus Christi, non verum modo, & naturale corpus esse & manere, *Luc. XXIV, 39.* sed etiam esse corpus ipsius filii DEI, qui cum tota plenitudine Divinitatis in illo habitat: *Coloss. II, 9.* ut adeo suo corpore, per unionem hypostaticam non in locum aliquem, sed in ipsam usque illocalem filii DEI personam, sive hypostasin assumto, plus possit, quam hujus nostri corporis conditiones patiuntur, nimirum, ambulare in aquis, sursum moveri, & corpora solida penetrare. Sin hoc potest: cur sodes non possit corpus Christi, salva substantiæ suæ veritate, præter & contra usitatum naturæ ordinem adesse in pane, in omnibus locis, ubi coena distribuitur. Retinuit Christus, ambulans super mare, naturale verum corpus, quod per veritatem, & proprietatem naturalis corporis, ipso actu grave: & tamen, quia ferebatur super mare, idem corpus ipso actu leve fuit. Idem ergo corpus Christi eodem momento, si naturam & proprietatem corporis consideres, ipso actu grave: & idem, si miraculum spectes, ipso actu leve. Quin, annon Petri corpus simul & mergebatur, & divina virtute sustentabatur, ne plane submergeretur? Imo illud ferrum natans in historia Elisæi, annon simul, eodemque actu, grave fuit: quia natura sua ferrum, quod grave: & eodem actu leve, quia nata-

natabat: nec tamen, quia natabat, amisit naturam & proprietatem ferri? Annon idem ignis, in historia Danielis, interfecit flamma sua viros illos, qui miserant tres illos juvenes in fornacem ignis: illis ipsis autem, qui ceciderant in medium camini ignis ardentis, nocere nihil potuit? Idem ignis & urens, & non urens. Has contradictiones, in creaturis, qua idem corpus, actu eodem, eodemque momento, & leve, & grave: idem elementum, & consumens, & non consumens, simul veras esse, existere posse, & revera etiam extitisse, cum negare adversarii Jeverenses non potuerint: tanta tamen insolentia contra corpus Christi, à λόγῳ in unitatem personæ assumtum, surrexerunt: quasi nulla virtute divina fieri possit: ut idem corpus, respectu proprietatis naturæ, sit in coelo: respectu communicatæ, in personali unione, maiestatis, sit extra cœlum: respectu proprietatis naturæ, sit visibile, circumscriptum, palpabile: respectu communicatæ maiestatis, sit quoque ἀόρατος, ἀναίδητος, καὶ ἀπεγνωστός. Per vulgata res est, tres esse modos substantialiter alicubi existendi: localem, sive circumscriptivum, definitivum, & repletivum. Ergo, etiamsi corpus Christi non sit circumscriptive sub pane: tamen potest esse definitive, more spirituum: aut replete, sive impletive, secundum modum dextræ DEI. Quod cum Hamelmannus urgeret, respondebant Jeverenses: diversos istos existendi modos, non uni & eidem natu-

ræ,



ræ , sed diversis naturis competere. At vero , nemo nostrum , nec ipse Hamelmannus , hoc unquam negavit . Quod si enim corpus Christi mere esset physicum , nec in unitatem personæ τῷ λόγῳ assumtum , concederemus etiam , alio modo , quam circumscriptive & localiter , corpus Christi alicubi esse non posse. Sed , cum non tantum sit verum corpus : sed etiam unitum τῷ λόγῳ : cum ejus & conceptio , & nativitas testentur , legibus naturæ non esse ita alligatum , quin alium quoque habeat existendi modum , quam localem & circumscriptivum : plures essendi modos de corpore Christi prædicari , minime erat insolens , aut absurdum. Cum enim assumta sit humana natura , in unitatem personæ τῷ λόγῳ , recte fecissent Anti-Lutherani Jeverenses , si Hamelmannum edocuissent , an hæc existendi ratio quoque sit localis & circumscriptiva , hoc est , an humana natura assumta , sit in divina assumente , tanquam in loco . Quia itaque alia est ratio corporis Christi , ut supra dictum , quam sit corporum nostrorum , omni impietate caruit , quod alia quoque ei in personali unione , per & propter personalem unionem , in colloquio Jeverensi tributa sit existendi ratio , qua possit esse alicubi , quam nostris corporibus . Quam existendi rationem , etsi in hac caligine mentis humanæ plene assequi , & explicare non possumus : satius est , ut eam credamus , & defendamus , quam ut temere majestatem filii D E I ;

n

quam



quam assumtæ carni communicavit, oppugnemus.
Audiamus aliam Jeverensium sophistificationem. Cum
Hamelmannus instaret: DEUM scire plures modos,
quibus & facere possit, ut corpus Christi, salva sub-
stantiæ suæ veritate, sit simul in multis locis: hoc ar-
gumentum ita invertebant, maleque interpretaban-
tur: quasi à beato Viro simpliciter ab omniscientia &
omnipotentia DEI ducatur: nulla habita ratione vo-
luntatis patefactæ, aut editæ promissionis: qua certe
argumentandi forma, id Hamelmanno contra consci-
entiae testimonium tribuerunt, quod illi, ne quidem
per somnium, in mentem venit. Sciebat optime, DEI
beneficio, divus Præsul, à scientia & potentia DEI,
non esse deducenda argumenta: nisi prius de expressa
DEI voluntate liquido constet. At vero, quid liqui-
dius & certius esse potest, illis amplissimis Christi pro-
missionibus: *Ero vobiscum, usque ad consummationem*
seculi. Ubi duo, aut tres, congregati fuerint, ero medium
ipsorum? Hæc testimonia, præsentiam nobis præmit-
tunt, non dimidii, sed totius Christi: quæ persona
Christi, non tantum divina, sed humana quoque ejus
natura constat. Hanc præsentiam totius Christi, qua
nobis, in his terris existentibus, adest: in omnibus pe-
riculis nos protegit: in cruce & calamitate consola-
tur: contra infidias diaboli defendit: quando Hamel-
mannus urgebat, & adversarii eam oppugnabant, per
proprietates corporis physici, quod corpus Christi, si
præ-



præsens est in terris, necesse sit, ut sit visibile & palpabile : annon, jure & merito, proprietatibus corporis physici opponebat potentiam & scientiam DEI? num veritas propterea neganda promissionum divinarum: quia promissiones, cum legibus physicis, cum ratione & intellectu nostro, pugnare videntur? ita, quid aperi-
tius dici potuisset à Christo: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum?* qua promissione ID, quod mandu-
candum jubet, corpus suum esse pronunciat. Hanc
promissionem, cum Apusiastæ Jeverenses per propri-
etates veri corporis infestarent: annon, jure & merito,
ut veritatem promissionis Christi Hamelmannus tue-
retur , sapientiam & potentiam DEI illis opposuit,
cum de voluntate Christi abunde ipsi constaret: eam-
que in dubium vocare, minime omnium liceret? Non
modo itaque audacia fuit & temeritas Jeverensium,
veritatem promissionum divinarum, contra expressa
verba promissionis, in dubium vocare : sed impietas
etiam, & blasphemia: potentiae, sapientiae, & veritati
divinæ, opponere proprietates rerum creatarum, qua-
si vero DEUS alligatus sit proprietatibus rerum crea-
tarum: nec omnia habeat in manu potentiae suæ: ve-
ritatemque & essentiam corporis conservare nequeat:
nisi proprietates simul corporis physici immotas re-
linquat. Calumnia itaq; fuit, fingere: Oldenburgen-
ses, ea, quæ à DEO non sunt patefacta, credenda ob-
trudere. Quod si Qvantius & Meppelensis dedissent

gloriam veritatis DEO , & promissiones filii ipsius ;
quibus præsentiam totius personæ promisit , non re-
strinxissent ad alteram naturam tantum : majestatem
assumptæ humanæ naturæ , non odiosissime oppugna-
vissent: nec verba institutionis allatrasserent: certe , de Dei
omnipotentia , omniscientia , & sapientia , in colloquio
Jeverensi , nulla incidisset disputatio . Cumque , uti Ha-
melmannus præclare submonebat , expressam habe-
mus voluntatem DEI , in verbo patefactam , de iis
tantum in ecclesiis nostris docemus , quorum perspe-
cta est veritas : nihil in medium proferentes , de cuius
certitudine dubitemus . Et , quidnam quæso fuit , quod
ad veritatem humanæ naturæ , tanquam ad tutissimum
asylum , tantopere confugerint Jeverani , dicentes : e-
verti humanam naturam , si in pluribus locis simul es-
se dicatur ? Nam , si Christi humanæ naturæ nihil ad-
scribendum est , quod ex Philosophia nobis ipsi repu-
gnare videtur : ergo nec Reformatorum fidei partici-
pation , de corpore & sanguine Christi , credenda erit;
quandoquidem in corpus & sanguinem Christi cre-
dere , id est , fide prorsus Reformatorum volatili cre-
dere , non minus ex placitis Philosophorum , veritatem
humanæ naturæ evertit , quam si in pluribus locis si-
mul præsens esse dicatur . Porro , nec illa sententia Ha-
melmanno poterat probari , quam Meppelenensis , cum
fido suo Achate Jeverensi , tanquam canonicam &
catholicam obtrudebat : quasi propria illa verborum
testa-

testamenti Christi sententia convellatur, & evertatur, per transitum Christi ex hoc mundo ad Patrem. Nam Christus prius instituit coenam , quam in cœlum ascenderet, atque adeo sic ascendit, ut coenæ nihil decederet. Ascendit in cœlum, manetque in cœlo, ut in coena tamen esse possit, & revera adsit. Unde, quid hic fidei articulus de ascensione & transitu involvat, & complectatur, scriptura teste, ex articulo, de sessione ad dextram majestatis & virtutis DEI, sumendum est. *Act. II, 32. seqq. Eph. I, 20. i. Petr. III, 22.* Id quod symbolum Apołolicum quoque testatur, quando ascensionem in cœlos, mox conjungit cum sessione ad dextram DEI : *ascendit in cœlum, & consedit ad dextram DEI Patris omnipotentis.* Neque enim Christus, deposita exinanitione, qua in hoc mundo, ratione & modo hujus seculi, in forma servi conversatus fuerat, simpliciter in cœlos , quemadmodum reliqui electi, secundum corporis glorificati modum : sed, peculiari privilegio, LONGE SUPER OMNES COELOS ascendit, & in ipsum thronum DEI, quo nihil sublimius est, pervenit: ut, ad dextram DEI, ubique praesentem, confidens, impleret omnia, *Eph. IV, 10.* hoc est, præsens omnia in cœlis, & in terris administraret, atque creaturis omnibus dominaretur. Et secundum hanc virtutem, potentiam, & excellentiam, quæ humanæ Christi naturæ, ad dextram Patris exaltatae, data est, ut omnia sibi subjicere, *Philipp. III, 21.* ita cor-

pus quoque, & sanguinem suum, in cœna manducandum & bibendum, dare potest. Quam ob causam, ascensio in cœlos, & sessio ad dextram, ad gloriam & potentiam Patris, præsentia illi in cœna obstat ne aquam potest: adeo, ut hæc ipsa potius inde invita confirmari & possit, & debeat. Nam verba cœnæ, in propria significatione, & diserte docent, & argumentis evincunt præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna. Ergo, licet hoc non fiat, ratione aliqua hujus seculi, quam non intelligimus, & comprehendere valemus: Christus tamen hoc, quod in verbis cœnæ, & aperte dixit, & sancte promisit, & ex composito ordinavit, alio modo, esto, nobis incomprehensibili, præstare potest, quia, ex ratione vivendi hujus seculi, concessit in cœlestem vivendi rationem. Et, quomodo hoc non esset consequens? cum Christus etiam, quando & ubi vult, præsentiam corporis sui in terra, visibiliter exhibere possit. *Act. IX, 4.5.* Ac proinde, nos commodissime retorquemus hoc argumentum in audaculos istos Jeverensium disputationes: Christus supra & extra omnem locum evectus est, ad ipsam omnipræsentem DEI dextram atq; maiestatem, ut imperium totius mundi capesseret, & potenter exerceret, & omnia in cœlis & terris operarentur: quamobrem, licet visibilem & localem conversationem nobis subduxerit, nihilominus illocaliter, secundum modum dextræ DEI, nobis adesse potest,

&



& in regno gratiae etiam adeat, ubi cœlestis dextræ auxilio præsentissimo opus est. Nam, non decuit eum, qui Rex, qui Sacerdos, qui Propheta, qui caput nostrum semper est, eo modo ad Patrem abire, & mundum relinquere, sicut fideles mundum relinquunt, & ad Patrem abeunt: sed mundum relinquere debuit, ut augustius impleat mundum; ad Patrem ire debuit, ut cum Patre suo inter nos sit, atque omnia operetur. *Joh. V, 17.* Uti vero ex absentia visibili & locali, ad absentiam simpliciter talem, pessime concluserunt Anti-Lutherani Jeverenses: ita etiam, à positione præsentiae unius, nimirum ejus, quæ in forma servi consummata, ad præsentiam aliam, vel plane tollendam, vel saltem negandam, contendere velle, absurdum æq; est, ac in rebus divinis periculosum. Reliquas sophistications Quantii & Meppelensis, fortiter protrivit, & ita conculcavit Hamelmannus, ut non opus sit, aliquid addere. Confugiebant quidem ad visibilem Christi redditum ad judicium; verum, neque hic aliquid facit ad intervertendam invisibilem ejus præsentiam, qua in dextra maiestatis omnia implet, & ambulat in medio candelabrorum. Nam, hujus invisibilis præsentiae respectu, redditus ad judicium, non per localem quandam descensum definitur, sed per revelationem, & apparitionem præsentiae suæ. *I. Cor. I, 7. 2. Thess. II, 8.* Quemadmodum igitur neque Hamelmannus, neque alijs quispiam negabat, Christum

stum visibiliter in cœlum adscendisse : ita, eundem vi-
sibiliter, & corporaliter redditum esse ad judicium,
firma fide omnes profitebantur. Quod autem, quia
visibiliter, & corporaliter redditus est ad judicium,
propterea non sit præsens Christus in mundo inferio-
ri, secundum humanam suam naturam : id non tan-
tum cum amplissimis promissionibus de præsentia sui,
hoc est, totius Christi, è diametro pugnat : sed etiam
evertit illud ipsum fundamentum, cui hoc Jeverensi-
um Anti-Lutheranorum argumentum innitebatur.
Nam, Christus exaltatus est ad dextram virtutis & ma-
jestatis DEI, secundum humanitatem. Aut igitur
dextra DEI, ad quam exaltatus est Christus, cœlo su-
periori continetur, circumscribitur, & definitur : si-
quidem ex doctrina exaltationis Christi, secundum hu-
manitatem, consequitur, Christum corpore suo, in
hoc mundo inferiori esse non posse : aut, si dextra
DEI cœlo minime continetur, sed totam rerum uni-
versitatem comprehendit: qua conscientia Qvantius,
cum suo Meppelensi, Christum, secundum humani-
tatem, exaltatum ad dextram Patris, corpore suo à
mundo inferiori excludere potuit ? Neque erat, cur
ad particulam INDE, cum dicitur: *inde venturus est,*
judicare vivos & mortuos, se receperint. Qvum enim
hanc vocem ita interpretarentur, ut Christum, quan-
do in nubes descendet, inde à dextra DEI remotum,
ad judicium venturum, illamque sedem interim in
cœlis



cœlis vacuam, donec eo revertatur, relictum, affirmarent, in horrendas & apertas blasphemias sunt prius lapsi. Hoc etenim pacto, Christi secundum carnem majestas imminueretur, imo prorsus evanueretur, & quidem illo ipso tempore, quo, secundum scripturas, in gloria Patris apparere debebat, *Matth. XVI, 27. cap. XXV, 31.* & quo illa maiestate, ac virtute divina, partim liberante, partim vindicante, vel maxime opus habebit, ad exequendam finalem illam judicii novissimi sententiam. Sed hanc impiam Jeverensem glossam scripture penitus evertit, & funditus subruit, quando disertis verbis testatur, & pronuntiat, Christum in universal i illo judicio, cum sententiam perorabit ex nubibus, nequaquam abs futurum à dextra DEI, sed potius, divino illi majestatis throno insidentem, judicaturum omnem carnem. *Luc. XXI, 69. Matth. XIX, 28.*

§. XIV. Eadem ratione facile infringitur, quod Calviniani Jeverenses, de commemoratione Christi, minus profecto erudite, disputatione enim, corpus Christi præsens esse in coena, quod panis eucharisticus comedatur in Christi, Salvatoris nostri, memoriam, quæ est non præsentium, sed rerum duntaxat absentium. At, multæ hujus sophistigationis errores erant. Nam, propositio proprie intelligitur de absentia temporis præteriti, non vero rei. Sed enim vero, si propter memoriam, quemadmodum Mep-

o

pe-



pelensis & Qvantius opinabantur, res ipsa abesse putanda est: ipse DEUS quoque, ab omnibus Reformatis aberit, quando ipsius recordantur: neq; hoc modo dicendum, uti Cancellarius *Hallen* doce submonebat, Christum, in primo epulo eucharistico, fuisse præsentem, cum & in eo discipuli in Christi memoriam cœnarunt. *Et, quot quæsō festa, quæ Hamelmanni instantia erat, DEUS in veteri testamento instituit, quæ debebant in sui memoriam celebrari.* Ergone ibi non adfuit? Nos ipsi celebramus in novo testamento festum pentecostale, festum Spiritus sancti, in memoriam Spiritus sancti, ergone ipse Spiritus sanctus non adest? Tandem, quod non solum absentium, sed præsentium quoque memoria haberi possit, me quidem judice, vel ex Paulino illo oraculo 2. *Tim. I, 6.* manifestum est, in quo Apostolus Timotheo in memoriam revocat donum illud, quod in ipso erat. Neque enim opinor, illud à Timotheo abfuisse, quod in Timotheo esse, Paulus sancte asseverabat. Ad assumptum Jeverensium, illud addo, & respondeo: cœnam proprie non esse memoriam, sed esse institutam ad memoriam, non tam Christi, quam ipsius passionis: quia apud divum gentium Doctorem 1. *Cor. XI.* memoria Christi, per mortis dominicæ annunciationem, signate explicatur & definitur.

§. XV. Ad ceteras Sacramentariorum Jeverensium objectiones, quibus evincere conabantur, Christum



stum in prima institutione , cum nondum dedit esset corpus suum in mortem , non potuisse illud dare discipulis edendum , oppono Hamelmannianam , hoc est , simplicem , veram , firmam & irrefragabilem respondentem . Non esse scilicet , sine expressis scripturarum testimoniiis , nostro in primis arbitratu , quidvis de corpore Christi effutiendum , scribendum , aut imaginandum . Absurda enim , quæ hoc loco fingunt Adversarii , oriuntur tantum ex judicio rationis , quibus si opponatur mysterium fidei , de veritate & omnipotenti promittentis Christi , & conditione personali corporis Christi , absurditas omnis evanescit . Quia enim Christus omnium optime , & certissime novit , quid , & quantum corpore suo , nondum in mortem tradito , efficere ac præstatare & velit , atq; possit : idcirco non ex ingenii humani captu , & Calvinianorum liripipio , aut ex communibus naturæ legibus , sed ex verbo DEI , atq; testamento Christi , hæc res est definienda , credenda , admittenda , & recipienda : tametsi illa sit ultra , supra , præter , atque ideo contra omnem naturam naturatam . Esto , quod ex nostræ naturæ capacitate , & naturalibus legibus , non intelligamus , quomodo Christus sanguinem suum , quem nondum effuderat , commensalibus suis dederit bibendum : quid tum credamus id , quod plane non intelligimus : & , quod sensibus nostris nequaquam percipimus , & investigamus , id demus Christi Testatoris omnipoten-

tentiæ , utpote cui, secundum hominem, data est o-
mnis potestas in cœlo, & in terra, quod possit, juxta
suam sacrosanctam institutionem , id , quod sancte
promisit, efficere ac præstare. Sufficit, quod pro ho-
minibus non effusum erat, id coram D E O , ut effu-
sum, præsens fuisse. Eleganter non minus, quam so-
lide, Achilles noster Jeverensis hæc explicavit: *Esias*,
ait, *centenis aliquot annis prior Christo*, dixit tamen: *Puer nobis natus est*, *Puer nobis datus est*. Item, attritus
est propter peccata nostra, ideo ejus fidei, & oculis spiri-
tualibus, tam fuit præsens meritum Christi, atque si sub
cruce stetisset cum Johanne. Sic ait Baptista: *ecce agnus*
DEI, *qui, in præsenti, tollit peccata mundi*, item: *san-*
guis Christi emundat nos à peccato. Porro, Apostolus ait:
Christus est propitiatio pro peccatis nostris. Vides, omnia
ibi in præsenti poni, ad denotandam efficaciam, quod o-
mnia ut D E O , ita & fidei veræ, promissiones D E I sint
præsentes.

§. XVI. Audiamus vero aliud artificium, quo Je-
verenses illi Apusiaſtæ, opinionem suam, de absentia
corporis & sanguinis Christi , à coenæ actione remo-
tissimam, Jeverensibus incrustare conabantur. Postu-
labant nostri, & omni jure flagitabant, ut hoc suum
dogma certis, firmis, manifestis, & perspicuis Patrum
testimoniis, quibus, citra ambiguitatem, perspicua &
certa asseveratione illud tradatur, ostenderent, doce-
rent, & probarent. Factum hinc est, ut ad primiti-
vam



Vam ecclesiam illi confugerent, & ex ea varias & dis-
similes, saepe etiam obscuras & ambiguas sententias
cumularent, ut videantur, totius antiquitatis consen-
sum & suffragia pro sua ~~an~~ habere. Præcipue, quod
puerorum est, vocabulis certabant, ludebant, & apí-
ces syllabarum in veterum sententiis venabantur, an-
tiquam illam cantilenam recantantes : Patres non di-
cere, Christum *ipsum corpus*, sed *figuram* duntaxat *cor-*
poris sui dedisse suis discipulis. Prodigiose autem im-
puidentes, & temerarios esse oportet, qui Patres, di-
lucide realen*i* & substantialem Christi præsentiam ex-
plicantes, nihil aliud voluisse dicere nugati sunt, quam
figuram corporis Christi in cœna exhiberi. Si quis in
rebus politicis, alterius verba & dicta ita malitiose cor-
rumperet, & depravaret, Viri certe ne quidem politi-
ce boni nomen amplius mereretur. Quid igitur sta-
tuemus de Quantio & Meppelensi, qui non unius
Doctoris, sed totius venerandæ antiquitatis verba &
dicta tam neqviter corruperunt? Judicet, qui judicare
potest. Non equidem ignorabat Hamelmannus,
Theologus, in Patrum monumentis, ad stuporem usq;
versatissimus, permulta ex primitivis ecclesiæ Docto-
ribus, à Calvinianis coacervari dicta, à particulis *ty-*
porum, symbolorum, & figurarum desumpta, quibus e-
vincere tentabant, in cœna Domini virtutem, opera-
tionem, & meritum longe absentis corporis Christi,
nonnisi fide communicari : & per fidem spiritualiter

O 8

dun-

duntaxat, corpus & sanguinem Christi accipi: ita, ut
unio sacramentalis nihil sit aliud, quam similitudo, si-
ve analogia signi, & signati, quatenus nimirum cor-
pus & sanguis Christi, cum pane & vino, aliquid simi-
litudinis habent. Sed, quia videbat, Patres, honora-
rios illos arbitros, quando de signis & figuris in cœna
Domini loquuntur, nunquam & nusquam inde con-
sequentias nectere, contra substantiam præsentiam,
sed diserte, & magnis asseverationibus confirmare:
Christum, in usu cœnæ, etiam substantia corporis sui
adesse, ore sumentium accipi, à nobis conjungi & u-
niri: tandem, quia videbat, veteres lanienam corpo-
ris Christi physicam, & Capernaitarum imaginatio-
nes acriter taxare, & submovere, ideo dicta Patrum,
in quibus, appellationibus signorum, symbolorum &
figurarum utuntur, non de omnimoda absentia cor-
poris & sanguinis Dominici in cœna intellexit, sed de
iis, quæ in externa illius actione proponuntur, viden-
tur, & tractantur, hoc est, de externis & visibilibus
speciebus, signis & symbolis explicavit, quibus invi-
sibilis præsentia corporis & sanguinis Christi repræsen-
tetur, &, ceu mediis quibusdam, & vehiculis, nobis
verissime exhibeat. Ita enim ipsi Patres dicta sua de-
clararunt, atque elementa, figuræ, & signa corporis
& sanguinis Christi vocarunt, ut simul clarissimis ver-
bis affirmaverint, & scripserint, corpus & sanguinem
Domini ibi præsentia esse. Bene & sapienter in hanc
rem



rem TILINGIUS, pereruditus ille colloquii Jeverensis hyperaspistes, Patres, ajebat, non sunt contra filios, sed nobiscum faciunt. Signa & figuræ dicunt esse in sacramento eucharistico: sed hoc ita explicant, figuram & signum esse id, quod exterius sentitur, panem & vinum; veritatem vero, & rem internam, corpus & sanguinem Christi. Habent ergo, Conrade Qvanti, mentem sanam in corpore sano. Si Tu aliter illorum verba explices, injurius es in Patrum manes. Id quod Hamelmannus ex pia antiquitate operose demonstravit, & veterum dicta contra omnes corruptelas præclare communivit.

§. XVII. Neque erat, ut, Philippi Melanchthonis autoritate, hac in palestra sese tueri conarentur Jeverensium Dipnosophistæ. Non equidem diffitebatur Hamelmannus, sed disertis verbis affirmabat: *in scriptis, à Philippo editis, damnari Zwinglii sententiam, veramq; de sacra cœna doctrinam in iis reperiri;* sed hæc de primis Viri scriptis intellexit, in quibus sibi adhuc constabat, nec Vertumni, aut Eceboli instar, in veritate, semel agnita, vacillabat, sed puritatem doctrinæ cum Luthero masculine profitebatur. Quam puritatem ut evidentius assereret, libellum eucharisticum, anno clo 15 XXX. conscripsit, eumque Sacramentariis opposuit, in quo idonea Patrum testimonia collegit, quæ per claram & luculentam declarationem asserunt, corpus & sanguinem Christi substantialiter in cœna adesse, & dispensari. Certe, pulchrum quid & præ-

cla-



clarum, sonant illa, quæ in hujus libri præfatione ad Fridericum Myconium pro nostra sententia allegat, quibusdam, inquit, valde hebetes videmur, quod in verbis evangelii: hoc est corpus meum, non videamus metaphoram, nec intelligamus, nos ab infinitis quæstionibus, unius metaphoræ beneficio, liberari. Videtur insania esse, sententiam omnium longe absurdissimam mordicus tenere, cum aliam commodissimam offerat metaphora. Hic desiderabunt in me iudicium etiam, quod in his testimoniis hyperbolas & allegorias non deprehenderim. Ego vero, non ignoro hæc σοφὰ φάσματα, ut Poëta vocat, quibus medicantur has sententias alii. Verum, quid non poterit eludi hac arte. Ego has sententias Patrum, sine glossematis, nudas proposui; ut iudicium candido Lectori relinquerem, utrum de corporali præsentia loquuntur, an de sola efficacia. Ego quidem statuo, eas p̄trōs asseverare, quod corpus Domini vere adsit in cœna Dominicâ. Et porro: Ego nullam satis firmam rationem invenio, cur ab hac sententia (intelligit eam, quæ est Lutheri, & ecclesiæ Lutheranæ propria,) discedamus. Fieri potest, ut alia sententia (Calvinianam notat,) blandiatur otioso animo, quæ est magis consentanea humano iudicio, præsertim sic instructa, & ornata argumentis, erudite excogitatis. Sed, quid fieri in tentatione, cum disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentendi à recepta sententia in ecclesia? Tunc ista verba: hoc est corpus meum, fulmina erunt. Quid hic opponet mens perterrefacta?



cta? quibus scripturis, qua voce DEI, se muniet, ac sibi
persuadebit, necessario hic fuisse interpretandam meta-
phoram? Non satis periti videntur horum certaminum
isti, qui tam facile ferunt nova dogmata, qui sic dele-
ctantur ingenio, ut magis admirantur vafre cogitatas
rationes, quam verba scripturæ. Ego scio, quam leviter
in tentatione excutiantur nobis è manibus rationes illæ,
dissentientes à scripturis, quantumvis antea visæ plausi-
bles. Hæc, atque alia plura, Melanchthon scripsit, &
insigni studio convasavit, Luthero adhuc superstite,
& ob sophronistum, subinde eum pungente & ob-
jurgante. Sed, defuncto jam Luthero, à Lutherana
puritate palam defecit, & Sacramentariorum errori-
bus, seductus à Johanne Calvino, faventiores non
tantum se præbuit, verum etiam antiquam, atque or-
thodoxam de cœna Domini doctrinam palam pro-
didit, infestavit, &, sub specie moderationis, multo-
rum zelum extinxit. Scribit, præclarus ille Philippus,
sub calcem præfationis libelli, de anima: *religionem in*
docendo adhibendam esse, ne recte ab aliis tradita, petu-
lanter labefactemus: ut nonnulli sumnam hanc ingenii
laudem esse ducunt, astute evertere aliorum recte dicta,
nec cogitant, se DEUM habere spectatorem, & judicem
ejus petulantiae, qui, cum præceperit: ne dicas falsum te-
stimonium, etiam severe puniet sophisticam, qua artes
conturbantur, qua ex re magna pernicies morum sequi-
tur. Me, tandem inquit, ludi illi, & sophisticatum præ-

TIBURIO

P

stigia

stigia non delectant, nec tam cupio esse φίλαππος, quam
φιλαληθης: sed relinquo Lectoribus judicium. Fateor, me
non una vice legitile Melanchthoniana illa, neque pri-
vatis affectibus, de quo solenniter coram Deo, & eccle-
sia ipsius protestor, hæc legisse; sed, si recte judico, Phi-
lippus, immemor verborum suorum, ab hac ipsa,
quam lectoribus reliquit, regula deflexit, nec in eo ve-
ritatis tramite, quem, cum Lutherò, Vittebergæ & Au-
gustoburgi, feliciter ingressus erat, firmiter perstitit, nec
religionem in docendo & scribendo constanter adhi-
buit, sed recte à Lutherò tradita, petulanter labefacta-
vit, immutavit, innovavit, depravavit, ac saniora di-
cta, scriptis ad Bulingerum, & Electorem Palatinum
Fridericum literis, astute evertit. Pro veritate realis
præsentiae corporis & sanguinis Christi in coena, uti par-
erat, nequaquam depugnavit, nec veritatem Luthera-
nam, verbis Christi consonam, & plane superstructam,
amavit & coluit, adeoque neque φίλαππος, neque φιλα-
ληθης in eadem fuit. Non ignorabat hanc inconsistanti-
am, atque Melanchthonianam molitiem, immortalis
gloriæ Princeps Theologus, & Theologus Princeps,
GEORGII Anhaltinus: quapropter eum coram
submonuit, & literis sæpe hortatus est, ut Calvinum
debellaret, resupinaret, & inversi illius Luciani placitis &
machinationibus contradiceret, nec sub ipsius scriptis
falsas & erroneas opiniones, puriori Dei cœtui, cum
multorum offendiculo, & exitio, obtrudi pateretur: sed
enim

enim vero, Philippus, quod non sine singulari cordolio,
fateri necesse habemus, erga piūm principem, vere Lu-
theranum, duriorem se præbuit, & salutaria submo-
nentem, & verbis respuit, & literis increpavit, & animo
aversatus est, donec tandem à sancto Lutheri deposito
turpiter defecit, & ih castra Sacramentiorum, tristissi-
ma apostasia, proslivit. Hinc suam de sacra Cœna sen-
tentiam, Adversariis velificaturus, obscure proposuit,
& in verbis eucharisticis tropum, illis non tam gratum,
quam gratissimum, admisit, & nullam aliam mandu-
cationem corporis & sanguinis Christi in cœna,
quam spiritualem, quæ fit sola fide, aperte propugna-
vit: quem articulum, in augustissimo confessionis Au-
gustanæ symbolo, plane, perspicue, & orthodoxe pro-
positum, vivente adhuc divo Luthero, fœdissime et-
iam variavit, enormiter truncavit & adulteravit, atque
talem sacræ cœnæ descriptionem composuit, quæ, co-
thurni instar, & nostro, & Calvinianorum dogmati po-
terat aptari. Quo ipso, postquam magnus Lutherus no-
ster in vivis esse desiit: & viam aperuit, & bipatentes por-
tas monstravit Zwinglianis, in nostras irrumpendi ecclæ-
sias, suumque virus de apusia corporis & sanguinis Chri-
sti in cœna, liberrime spargendi. Quem errorem cum
Jeverenses illi Apusiaſtæ, nimium φιλιππιζοῦσες, errave-
rint, mirum non est, quod, sub cothurno illo mutatae
confessionis Augustanæ, latitaverint, & unius Philippi,
tanquam communis præceptoris, autoritate decepti,

vel inscii, in errores Sacramentariorum fuerint prolap-
psi. Et si dicendum, quod res est, ipsa Philippi ad Sa-
cramentarios defectio, ingentes illas, in ecclesiis Jeve-
rensibus turbas dedit. Constat enim, Quantium &
Meppelensem ex schola Hardenbergii prodiisse: *Hoc*
enim autore & incentore, ut acta habent, cum Embdam
se conferret, permulti, Carlstadiano veneno inquinati libri
conscriptebantur, imprimabantur, & passim in terris Je-
verensibus distribuebantur ius, qui sub Calvinis vexillis sti-
pedia mereri maluerunt, quam in castris Dei contra Cal-
vinum depugnare. *Hos inter fuerunt Quantius & Mep-*
pelensis, homines intus & in cute Calviniani. Hardenber-
gius autem, Philippi potissimum voluntate & consilio,
caput suum extulit, & coetum Bremensem disturbavit,
atque, ut nostrarum ecclesiarum communioni sub-
traheretur, effecit, imo, pro honore Philippi, à quo
ditatus erat, magis ille pugnavit, quam pro testamento
filii Dei, per quem redemptus erat. Si enim Philip-
pus, vel uno verbulo Hardenbergio restitisset, aut fal-
tem literis significasset, se D. Lutheri doctrinam de sa-
cra coena firmiter amplecti, Calvinistarum vero sen-
tentiam, quippe à verbo Dei alienam, toto pectore
execrari, tum perfecto suam conscientiam liberasset,
& archiepiscopalem illam sedem Bremensem, & in ea
innumeras animas, à Philippi judicio, tanquam ab o-
raculo quodam, pendentes, ex Calvini faucibus eri-
puisset, inque regiam veritatis viam revocasset. Ve-
rum



rum Calvini placitis faventiores tum fuisse Philip-
puim, sufficientissime comprobat epistola ipsius, ad
eundem Hardenbergium, Ao. cl^o I^o LX. perscripta, in
qua Hardenbergio disvasit, ne in theoricam, ut ipse
nominat, eucharistiæ disputationem consentiat, atque
Chemnitium, Morlinum, Heshusium, Musæum, aliosq;
taxavit, & parum amice strinxit, à quibus putabat ista
consilia συμβασια proficisci. Eidem quoque Harden-
bergio autor fuit, ut sibi Petrum Martyrem, hominem
Sacramentariorum placitis plane immersum, adjun-
gat Parastatam, & pollicitus est, se quoque ipsi affutu-
rum. Sic igitur in impio suo proposito confirmatus
Hardenbergius, perrexit, omnemque disputationem
de sacra cœna, & toti ecclesiæ utilem, & Bremensibus
fructuosam, superbe detractavit. Quæ cum ita se ha-
beant, nemo amplius dubitabit, Philippum Witteber-
gensem, aut si mavis, Heidelbergensem, Hardenbergio
Bremensi: hunc vero Philippis Jeverensibus, Quan-
tio & Meppelensi, & monitis & consiliis adfuisse, ut, re-
jecta nostrarum ecclesiarum sententia, Calvini de cœ-
na opinionem adoptaverint, & variatæ à Philippo
confessioni Augustanæ nomen suum dantes, sub ambi-
guis verbis, animi sui sententiam occultaverint, do-
nec in colloquio Jeverensi & Apusiam aperto defen-
derent, & levem tantum de modo præsentiaæ in cœna
dissensum superesse, publice profiterentur. At enim
vero, merae nugæ erant, quæ de modo splendide jacti-

tabant, cum non tantum modum præsentiae in dubium vocarent, arietarent, & convellerent, sed & ipsius rei ^{naturam} præsentiam proterve inficiarentur. Stolide autem, & Andabatarum more disputatur de modo præsentiae, ubi constat, rem ipsam esse absentem.

§. XLIX. Calviniani Jeverenses, ut colorem inducerent erroribus Sacramentariorum, latius evagabantur, atque violentis sarcasmis, & argutis commentis, orali manducationi, quæ in terris fit, & dignis & indignis communis est, audacter insultabant. Ubi Hamelmannus statim præmonebat, manducationem Sacramentalem, quæ ore fit, appellari oralem, non à modo, sed ab instrumento; corporalem verò, ab objecto; nimirum corpore Christi, quod vere accipitur, & vescientibus exhibetur. Quum vero de hac manducatione, quam distinguebat contra eam, quæ sola fide peragit, in colloquio Jeverensi sermo institueretur, denuo submonebat: semper, & accurate, inter physicam, naturalem & cyclopicam manducationem, & nostram oralem, distingvendam esse. Etenim Jeverenses dipnosophistæ, quoties hanc, quæ ore corporis fit, manducationem arietabant, physicam & naturalem illam crepantes, semper præsupponebant, quæ non tantum fit sensibili in os receptione, sed etiam lingvæ & dentium masticatione, træctione in stomachum, & in ventriculo digestione. Hanc verò, cum, omni pietatis, & pudoris reverentia pro-



prostituta, exagitarent, & multis argutiis oppugnarent, neque nostram, neque Oldenburgenium ecclesiarum doctrinam, sed impurissimi cordis sui figmentum, & imaginationes Capernitarum accusabant, pungebant & insectabantur. Semper enim testati erant nostri, &, in ipsa Oldenburgenium ordinatione, disertis verbis scripserant, quando de mandatione corporis Christi, quæ ore fit corporis, loquuntur, nullam sese physicam & naturalem fingere corporis Christi mandationem. Quemadmodum enim præsentia corporis Christi, licet sit vera, non tamen est physica vel naturalis: Ita & mandatio corporis Christi, licet fiat ore, non tamen est naturalis & physica, sed est, atque in æternum manet, mandatio supernaturalis & sacramentalis. De corpore enim Christi, in hac actione, plura non prædicabat Hamelmannus, quam à Christo erant tradita. Christus vero, simpliciter, & tantum loquitur, de mandatione, nequaquam vero de mandationis vel accidentibus, vel consequentibus: veluti de deglutione, de trajectione in stomachum, & inventriculo digestione. Plura itaque corpori Christi in hac actione sacramentali non tribuebat, quam à Christo ipso prædicata, simplicem videlicet illam, quæ ore fit corporis, mandationem. Hanc vero mandationem corporis Christi, in coena fieri, Apusias tæ illi simpliciter negabant, &, quam argumentis evertere non poterant, eam verbis exagitabant, & horrendis



dis absurditatibus, ne quid gravius dicam, obruebant: qua in re, hodiernis, ut vocari volunt, Reformatis præiverunt, iisque ad calumniandum non rimam aliquam monstrarunt, sed latam portam aperuerunt. Allegabo hanc in rem Marcum Fridericum Wendelinum, Theologiae suæ, in Gymnasio Servestano, quondam Professorem, qui de Davide Paræo, Heidelbergensium Doctore scribit, & sancte simul testatur, quod testamento suo sequentem confessionem inferuerit: *Ex animo rejicio, atque detestor novos illos, ac horrendos errores, de ubiquitate veri & essentialis corporis Christi, deque ejusdem corporali præsentia, & orali manducatione sub munularia cœnæ hostia; quæ dogmata, non solum nullo prorsus nituntur Sacrae Scripturæ fundamento, aut Symbolorum consensu: sed è diametro pugnant cum Apostolicæ & Catholicæ fidei articulis, omnemque adeo evertunt consolationem Christianam, quocunque tanquam colore à Sophistis pingi soleant: Et cum illa recitasset Wendelinus, in dedicatione, exercitationibus Anti-Gerhardinis præmissa, ipse Palatinus Palatino, discipulus Præceptoris supparasitatur, & Paræanæ huic vociferationi, sequens hosanna acclamat: hæc beatus vir, magnusque Theologus, quo cum & meam animam esse volo. Interim pergit Wendelinus, oralitati fictæ & victæ Lutheranorum recentium quidam tam pertinaciter inhærent, ut satiari ea in his terris non possint, sed in æterna quoque vita continuari, attamen sine hostiolis, expetant & credant.*



dant. Et paulo ante: *ibimus, sine ubiquitate & oralitate, triumphantes, in æternam requiem, sanctis Christi Apostolis, martyribus, & ecclesia veteri orthodoxa, comitati. Ibumus in amplexus Servatoris, quem proprie, & oraliter, nunquam edimus, nunquam bibimus, nunquam ita edisse & bibisse videri voluimus.* Hæc illa probra sunt, quæ, Goliathi instar, in exercitum Dei viventis conjecit, & cum Dayide Paræo repetivit Wendelinus, servicosus ille oralis corporis Christi manducationis abnegator, uti D. Gerhardus Titius, in epistola ad Kylmanseggium eundem appellat, cui, & similibus calumniatoribus, per nos quidem ire, & fortunam, triumphum, & requiem experiri licebit. Nos interim, cum Petro procul stantes, erecto capite præstolabimur, quorsum audacia illa Calvinianorum evasura, & an Servator noster, justissimus judex, & ulti blasphemiarum, ejusmodi præfractos verborum suorum contemptores, quos in hoc sacræ cœnæ negotio deprehendimus, expansis statim brachiis, amplexu suo sit excepturus. Probe enim scimus, & ex testamentariis Christi verbis, plane convicti sumus, in iis recte percipiens, tantum momenti situm esse, ut, qui ea male intelligit, aut impie contorquet, explicat, & beluarum more allatrat, aut, hostili animo, insectatur, aut inde non recte discernit illud, quod in sacra Synaxi exhibetur, aut corpus Christi à communi pane non dijudicat, is indigne edendo & bibendo, damnationem

q

sibi



sibi & edat & bibat: quod cum Jeverenses Anti-Lutherani fecerint, & manductionem sacramentalem, quæ oralis est, & fictam, & falsam, & capernaiticam, omni pudore conculcato, appellaverint, prosciderint, & condemnarint, illorum vicem merito dolemus, &, quod DEus novit, ex animo deploramus.

§. XIX. Meppelensis, Plebanus in agro Sillenstedi, quasi constitutus Calvinianorum Patronus, summis viribus conatus est, pro sacramentali manductione, argumentorum vim infringere: itaque omnes illorum solutiones & exceptiones, quantumvis frivolas saepe atque jejunas, proferre coepit. Et primo quidem persistit in assertione sua, manductionem corporalem nihil differre à capernaitica: responsum ei est ab erudito Viro, & Oldenburgensis fidei defensore, Henrico Tilingio; erras, & tota via erras, quod corporalem manductionem, & capernaiticam, pro synonymis habcas. Illa enim denotat manductionem cum connotato organo oris, estque idem, quod manducatio, organo oris peracta, sive per agenda, sive cibus, in quem fertur, & manductionis modus physicus, seu naturalis & sensibilis, sive supernaturalis & insensibilis sit. Hæc vero importat præterea objectum, sive cibum, ut & modum manducandi physicum, sive naturalem & sensibilem; estque idem, quod manducatio cibi physici, sive naturalis, ore corporis naturalis, & sensibili modo peracta aut peragenda. Meppelensis contra, ut posset τὴν θέσιν φυλάτ-

TEIV,



ter, quod sophistarum est proprium, hoc reposuit: corpus & sanguinem Christi non esse cibum ventris, sed mentis, non corporis, sed animæ alimoniam. Quid tum postea? Nec Oldenburgenses hoc inficiabantur. Ostendebant enim, corpus Christi, licet non sit cibus ventris, si hunc conferamus cum reliquis cibis, ad vitæ hujus sustentationem necessariis: esse tamen suo modo corporis alimoniam, quia illo caro nostra ad vitam æternam nutritur. Sed, quærerem ego ex Calvinianis Jeverensibus: quando corpus & sanguinem Christi mentis cibum dixerunt, an vere senserint, ipsi menti nostræ, quæ intra nos est, offerri ipsam substantiam corporis & sanguinis IEsu Christi, ita ut fideli mente & corde nostro percipiatur? Si enim menti nostræ substantia corporis, seu ipsissimum corpus Christi vere offertur, quomodo illud, sicuti antea propalarunt, *soror* sua cœlo est inclusum? Hæc itaque veteris Adami perizomata fuere, quibus turpis simam nuditatem suam obvelarunt, & toti ecclesiæ imposuerunt, quando corpus & sanguinem Christi mentis alimoniam dixerunt, quæ fideli mente, & corde percipiatur. Hæc enim *naturæ soror*, menti & cordi offerri, & à mente nostra, quæ intra nos est, percipi, tam non crediderunt Anti-Lutherani Jeverenses, quam saepe creparunt, pertinaciter defenderunt, & proterve tutati sunt, ipsissimum corpus Christi in propria sua substantia cœlo inclusum manere.

§. XX. Post hæc, Meppelensis ille, ad varia sophis-
mata confudit: quæ cum post tædiosas inculcationes
tueri ad extreum non valeret, vix tandem adduci
potuit, ut, pro stabilienda sententia, aliquid è sacris li-
teris allegaret. Cœpit igitur in eo quærere præsidium
cadaverosæ sententiæ, quo Christus discipulos est af-
fatus: *edite, hoc est corpus meum; bibite, hic est san-
gvis meus.* In hisce verbis, quemadmodum duplice m
anducationem, ita etiam duplex os constituebat:
aliud corporis, quo externa symbola: aliud fidei, quo
res signata, corpus & sanguis Christi, accipientur &
manducentur. Sed enim vero, cum in actione cœ-
næ, Christus nulla usus sit distinctione, neque ullam do-
cuerit quærendam divisionem aut distinctionem, te-
merarium certe fuit, quin imo blasphemum & impi-
um, in negotio eucharistico, manducationem corpo-
ris Christi, a manducazione panis divellere & remove-
re, eamque ad diversa instrumenta referre. Etenim,
quæ in eodem sacramento, eademque actione, unita
sunt sacramentaliter, illa, eodem quoque instrumento,
acciipiuntur: nisi unionem sacramentalem, ob instru-
mentorum diversitatem; in ipso usu sacramenti, diri-
mere & divellere voluerimus.

§. XXI. Porro, non minus malitiosa impostura,
fraus & astutia erat, quod Meppelensis spiritualem
comestionem, semper creparet. Hanc enim, uti à
salutari usu coenæ, Oldenburgenses non excludebant:

P
ita

ita, in verbis præceptivis, eandem stabiliri, recte perne-
gabant. Nam, si spiritualem mandationem tan-
tum voluisse Christus, sacramentum altaris non con-
didisset: Constat enim, & Patres, in veteri instrumen-
to, manducasse carnem Christi; verum, non sacra-
mentaliter, sed spiritualiter tantum, quia, illa ætate, substan-
tia carnis Christi nondum fuit in rerum natura, *Job. I,*
14. Gal. IV, 4. Et, cum nullum mandatum haberent,
quod manducando pascha, vel manna, manducaturi
sint corpus Christi: quod bibendo aquam è petra,
bibituri sint sanguinem Christi: mirum non est, sed
in promptu causa, quare oraliter in Vet. Test. corpus
Christi non manducaverint. Ex eo autem, cum Mep-
pelensi, concludere: ergo, ne nunc quidem oralem
corporis Christi mandationem statuendam: quid
aliud est, quam novum instrumentum, expressa pro-
missione Christi spoliare: quæ promissio, à Christo ad-
dita, non tantum, quoad signa, sed etiam, quoad rem
signatam, discrimin monstrarat, inter sacramenta vete-
ris & novi testamenti. Proinde, non frustra sacra-
mentalnis mandatio corporis Christi, ea demum nocte,
qua se ipsum oblaturus erat Deo Patri sacrificium, pro-
peccatis totius mundi, est instituta, & solenniter, ad
formam testamenti, munita & confusa: Et in hoc
coelesti epulo, ecclesiæ suæ legare voluit, non spiritua-
lem sui mandationem, sed, in sacramentali mandu-
catione, ipsam substantiam carnis suæ, sive corporis,

Necesse itaque est, ut, quoad rem signatam hujus sacramenti, aliquid amplius accipiamus, in sacramentali mandatione, quæ est ipsius substantiæ & ~~sotiac~~ corporis & sanguinis Christi, in novo demum testamento instituta, quam in spirituali, quæ est ~~r̄ns~~ ~~euagycias~~, virtutis, meriti & efficaciam corporis Christi, & Patribus in veteri testamento fuit communis. Ad instantiam Jeverensem: nos omnia perfectius habere ex spirituali mandatione, quam orali illa: proinde, externam & oralem esse inutilem, regerebat Hamelmannus, negari consequentiam. Nam & auditu cordis melius percipimus evangelii doctrinam, quam externa aure; nec tamen inde sequitur; ergo externa aure eandem non percipimus aut acceptamus. Similiter, falsum erat alterum postulatum: rem spiritualem in hac vita aliter apprehendi non posse, quam fide. Contrarium enim diserte Christus testatur; *accipite, manducate.* Quod si verbum Dei instrumento auditus percipitur: quid prohibet, quo minus corpus Christi, res in eucharistia spiritualis, instrumento oris accipiatur.

§. XXII. Inter ultima argumenta, quibus Hamelmannus demonstrabat: sacramentalem mandationem non ad symbola tantum referendam esse, sed etiam ad rem signatam, ipsum videlicet corpus & sanguinem Christi, haut postremum, sed præcipuum erat, quod à mandatione indignorum deducebatur! Testis est Apostolus, i. Cor. XI. impios, infideles & hy-

po-

pocitas, indigne manducando & bibendo, reos fieri corporis & sanguinis Christi. Necesse itaque est, ut rem ipsam prius indigne accipient, alioquin indigne manducando & bibendo, illum reatum corporis & sanguinis Christi non contraherent. Hujus argumenti evidentia & robore, quia Jeverenses Calviniani vehementer se premi animadvertebant, in eo etiam oppugnando, plurimum laboris posuerunt. Sed Hamelmanniana fortiora erant, quam ut à Meppelensi arietati potuerint. Melius ergo fuisse, dígito labelum compescere, quam, cum hinnulo in leonem, puerilem impetum facere.

s. XXIII. Et ex hisce in medium prolati, aestimet pius & cordatus lector, quid de tota Calvinianorum Jeverensium doctrina, eorumque in colloquio assertis, sit judicandum. Cum enim tam terti errores inde nascantur, non est difficile cuivis Christiano videre, à quo autore sint profecti. Hic enim regula Christi locum habet: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Ac gravissime sane à Luthero, piæ memoriæ, est dictum: *neminem propter unum errorem fieri hæreticum.* Mox enim error errorem secum trahit, & Satan longam blasphemiarum telam contexere conatur. Cujus triustissimum exemplum in Quantio & Meppelensi videntur. Non ex violenter contortis consequentiis, quod multis hodie solenne est, affixi Anti-Lutherani Jeverensibus errores, sed ipsa eorum verba, quæ in



in colloquio ante oculos jacent, lectori indicavi. Nec sane omnes hic adscripsi errores turbonum; sunt enim multo plures, cum in Theologia, tum Philosophia, atque etiam *ανυερολογία*, pene innumerabiles & manifestae: adeo, ut nihil aliud cogitare possim, quam Jeverenses blaterones, hoc unum studuisse, ut tales Theologiam invehement in ecclesiam Jeverensem, quam neque Apostoli, nec Apostolici viri noverunt: sed tantum crassiores, & magis palpabiles lectori meo ostendi, & refutationes Hamelmannianas enarrayi: ut sciat, sibi, in lectione colloquii Jeverensis, à præsentissimis venenis cavendum, & omnia cum judicio legenda, & ad normam verbi divini examinanda esse. Plurimæ etiam antilogiæ manifestissimæ passim occurrent in colloquio, quas lector attentus facile poterit observare, atque inde colligere, spiritu virginis, Quantum & Meppelensem laborasse.

§. XXIV. Tandem, quod superioribus adjicendum est, triumphum cecinit ante victoriam cum Quantio Meppelensis, in quo sibimetipsis sunt blanditi, quasi vera illa fuerint, adeoque omnibus persuasa, quæ de ascensione Christi, de dextra Dei, de cœlo, ex Patribus, in præcedentibus, dixerant. Arbitror enim, quanta fuerit vanitas, astutia, & impudentia eorum, ab Hamelmanno satis demonstratum esse. Et cui hæc non sufficient, quibus, in colloquio Jeverensi, heterodoxam impostorum sententiam impugnavit,

ille



ille Hamelmanni librum πολυμαθέσαν consulat, de re-
fponctionibus ad dicta Patrum veterum in ecclesia, in quo
& puriorē doctrinā graviter explicavit atque de-
fendit, & argumenta, quibus Calviniani illam arietant
& convellunt, suamque stabilire conantur, solide ex-
aminavit, &c, cœlesti quodam religionis ardore incen-
sus, pro conservanda religionis nostræ puritate, velu-
ti pro aris & focis, strenue decertavit. Editus est
iste libellus, oppido rarus, sed & longe utilissimus,
Lemgoviae, in qua urbe Hamelmannus illa ætate doce-
bat, Anno supra sesquimillesimum sexagesimo octa-
vo, in cuius, ad Theologos Mansfeldensis Comitatus,
præfatione, cum varia legantur, quæ & ad rem faciunt,
& doctrinam nostram, in colloquio Jeverensi propu-
gnatam, ulterius propugnant, & Hamelmanni in The-
ologia patristica eruditionem, solidam sane, & exascia-
tum insimul eloquantur, ea hoc loco enarrare & re-
petere, non pigrabor. Ita autem præfatur edecu-
matus Theologus: *Cum in ecclesia Antwerpensi, cum*
Reverendissimo & Clarissimo Viro Cyriaco Spangenber-
gio, Martino Wolffio, & Joachimo Hartmanno, Vene-
randis ac Eruditis Pastoribus Islebiensibus versarer, ut
ibi & piis inserviremus, & Calvinistis, si res ad disputatio-
nem processisset, opponeremur: eo tempore, quando parum
otii supererat, cepi recolligere mea collectanea, eaq; revi-
dere, & me ita ad futuram tunc disputationem præpa-
rare. Nam vobis vel imprimis constat, quomodo Adver-

r

sa

sarii Calvinistæ, ante nostrum adventum, nostros sæpius provocaverant ad disputationem. Sed, illam cum ipsi postea detractarint, & ego colligendis & componendis tractatibus, eisque in ordinem redigendis, plane occupatus essem, voluit Clarissimus, & de Ecclesia Dei bene meritus vir D. Matthias Flacius, Illyricus, tunc noster ibi collega, ut hos tractatus præcis committerem & ederem, quos opinor aliquid lucis allatuos esse istis, qui cuperunt longiorem, ex Patribus, explicationem ejus quæstionis: an Christus homo sit in certo loco &c. factam fuisse in colloquio Maulbrunnensi. Nam ego omnia, quæ Adversarii ex Patribus proferre solent, probe expendi, & fontes consului, ut tandem aliquid certi haberem, ideo existimo, id à me nunc præstitum esse, ut, absque arrogantia, possim gloriari, à nemine hactenus tam accurate testimonia illorum Patrum, quorum dicta contra nos plurimum citare solent ZWINGLIANI in hac quæstione, quæsita, examinata & explicata esse, quam in hoc tractatu sit factum. Scio interim, inter nostros Theologos, quosdam esse excellentes, & primæ notæ, ac summæ eruditionis viros, qui existimant, hodie Christum circumscriptum, & in certo cœli loco constitutum esse, commoti infirmis quorundam Patrum Testimoniis: Interim addunt isti: hujusmodi assertionem, non derogare veritati & præsentia corporis Christi in cœna Dominica. Verum, ego eo me adduci non patior, ut ita Christum hominem velim ad talem ne-

665-



cessitatem, vel potius fragilitatem, astringere & dejicere, nisi forte vellem descendere ad castra SACRAMENTARIORUM, qui in ea assertione præcipuum suum robur ponunt: *Quoniam si Christus est in ea patris dextera, quam æternus Pater habuit ab initio, antequam ullus locus esset; certe, ego non ausim, Christum ad aliquem locum astringere.* Aliquando, de eadem quæstione, disputatum est inter me, & virum Eruditissimum, D. BERNHARDUM COPIUM, tunc scholas magna cum laude, & in magna discipulorum frequentia, Lemgoviae gubernantem, nunc vero Doctorem Juris in Academia Marpurgensi, & is mihi aliquoties Augustinum objecit, sed ego ex Augustino & aliis Patrum Testimonis probavi, ne quidem nostra corpora in altera vita, fore in loco, aut necessario astringi debe-re ad locum. *Idem mihi etiam interdum accidit in inferiori Germania.* Nec sane video, quomodo talis ad-versariorum assertio possit explicite ex scripturis probari. *Nam quod adferunt illud Actorum III, 21.* Quem oportet cœlum suscipere usque ad tempora restitutio-nis omnium: *unde concludere videntur, corpus Christi necessario oportere esse in cœlo, & ideo in certo loco, ut propterea non possit esse in terris: illud nimis infir-mum est.* Cœlum, præcipue significat habitationem Dei, & in illo testimonio Act. 3. nihil sane aliud intelligi potest. *Jam vero habitatio Dei non potest corporalem locum denotare, cum Deus sit spiritus, Joh. IV.* Vocem quoque,

oportet, ibidem valde urgent, sed probent prius Adversarii: id statim necesse esse fieri, quod verbo oportet effertur. Valde sane indignum est Christiana mente, afferere: Christum ita quandam cœli partem occupare, ut in ea cogatur esse, sedere, ambulare & stare. Rectius Augustinus, scribens contra Adamantium Manichæum. cap. 12. loquitur: Christum ascendentem in cœlis pro spirituali, vero tamen corpore, spiritualem est sortitus habitationem. Simile quid de nostris corporibus futurum refert idem Pater aliquoties. Addit Hamelmannus, quod ridiculum sit: Calvinianos ita cœlo Christum includere dicto isto Acto. 3. quasi ista ratione ipsi terra interdicta esset. Hoc si ita est, juxta Adversiorum oportet, quomodo igitur in terris vidit illum Stephanus? Et si juxta Zwinglianos, oportet Christum cœlo includi, usque ad tempus restitutioinis, quomodo igitur corporalibus oculis visus est in terris Paulo, qui se cum reliquis Apostolis facit oculatum testimoniū resurrectionis Christi, I. Corinth. XV. Descendit Hamelmannus ad alia loca vindicanda: Cum, inquit, nostri quoque objiciunt locum ex cap. 7. Hebr. Excelsior cœlis factus est, quidam ex Adversariis, mox recurrent ad germanicam Lutheri translationem, & græcum textum, ut illa verba ad personam Christi torqueant, quo etiam cogunt verba 8. cap. ibidem, si esset in terris, ne sacerdos quidem esset; ubi ajunt, autorem facere collationem & distinctionem locorum, ut doceat, Christum ibi esse Pontificem in
cœ-



cœlis ad dextram throni Majestatis DEI, ideo non esse Christum in terra. Nam si in terra esset, non esset Sacerdos: itaque clarum, dicunt, evadere ex ista cœli & terræ distinctione & collatione, Christum in cœlis agere, & non posse esse in loco, &c. Hæ sunt quorundam technæ. Ad has modeste respondet: scio, quid græcis significet γένεσις: quia illud verbum & Hebr. 7. & Galat. 4. pro fio ponitur. Et inde Tigurina versio latina, & Beza, & Castalio retinent illam translationem, *excelsior*, vel *sublimior cœlis factus est*: Et Germanica Tigurinorum versio sic habet: *Er ist höher worden / denn die Himmel sind ic.* Ita quoque non solum legit Oecolampadius, sed etiam explicite illum Textum de humana in Christo natura intelligit. Scribit enim in suis super Epistolam ad Hebræos, in cap. 7. commentariis; per cœlos hic intelligi, non solum corporeas machinas, quibus sublimior est factus, etiam secundum humanam naturam: Nam secundum divinam naturam exaltari non potuit; sed & sanctos ipsos, quos scriptura aliquoties vocat cœlum. *Quem locum quoque non aliter videtur explicare Calvinus.* Patronus autem Zwingianorum, THEODORETUS, in suis super hanc epistolam commentariis ita hunc locum explicat: *excelsior cœlis factus est, quæ humanitatis propria sunt, & non divinitatis.* Ut enim alia prætermittam, illud: *excelsior cœlis factus est;* quomodo Deo verbo convenit, qui est fabricatus omnia? OECUMENIUS, quoque

*in suis commentariolis super hanc Epistolam de hoc
loco scribit: in ipsum paternum solium consedit. Quod
vero ait, factus, nonne declarat, quod haec de ipsius
carne loquatur. Deus enim verbum, semper extitit
coelis sublimior. Pergit Hamelmannus: Multi ex sim-
plicibus quærunt: quomodo hoc possit fieri, ut unum Chri-
sti corpus, ubicunque cœna administratur dominica, à
multis sumatur? Huic quæstioni Divus Lutherus, Pa-
M. ter noster, ex sermone Augustini de tempore 145. in
hanc sententiam responderet: quotidiano experimen-
to cognoscimus, quod intellectus noster idem ver-
bum cordis nostri, cum illum quodammodo voce
vestimus, totus simul in corde nostro maneat, & totus
cum assumta voce mille hominum & corda & aures,
uno eodemque temporis momento, percutiat, ut pro-
nunciet quis verbum aliquod, exempli causa, Jesum,
si unus tantum adsit auditor, totum audit quod dici-
tur, si duo tantundem audiunt, nec minus audit vel
maxima multitudo: neque tamen inter se sonum
commixuant, sed quod totum est omnibus, totum est
singulis. Neque plures sunt voces, sed una sola, quam
eandem omnes & singuli una audiunt &c. Ita quo-
que, Hamelmannus concludit, sentiamus de distributio-
ne corporis Christi. Nam, ut inquit Cyprianus, de cœ-
na Domini, distributus Christus non demembratur,
sed æqua portio omnibus datur, integer erogatur, in-
corporatur, non injuriatur &c. Et Ecclesia sic canit:*

su-



sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille, nec sumptus absumitur. *Aliam quoque similitudinem habent Patres, quæ hic quoque referri & accommodari poterit.* Augustinus enim probat, ipsam animam corpore, quod corruptitur, aggravatam, non particulatim per singula corporis membra dividi, sed in singulis particulis, totam atque integrum inesse: Neque plures tamen, sed unam esse animam. Miramur igitur Adversariorum crassitatem, & impudentiam. Quæ omnia ab Hamelmanno consignata, & ex erudita antiquitate, & scripturarum monumentis congesta, ideo paulo prolixius recensuimus, & quasi in theatro spectanda, produximus, ut quam haud laudandis argumentis Calviniani rem suam semper egerint, & quid pro palliandis erroribus convalescerint, publice constet. Id quod amplius ex iis, quæ supra dicta sunt, apparet. De reliquis erroribus, ut fallacibus, & fraude plenis, quos in medium protulerunt Quantius & Meppelensis, non est, ut pluribus agamus. Nam ea duntaxat repetiverunt, quæ aliquoties ab Hamelmanno validissime erant discussa, protrita, & certis, & immotis scripturarum fundamentis conculcata. Quæcum ita sint, æquum est, nos Deo ardentissimis votis sœpissime gratias age-re, pro debilitate & fracta Calvinianorum in terris Jeverensibus potentia: Quam ut illis perpetuam esse ve-lit, supereft, ut sanctis suspiriis supplices precemur.

CAP.



C A P . VI.

De

FINE ET FRUCTU
COLLOQUII.

§. I.

Nemo ignorabit, Gregorium Nazianzenum, magnum illum ecclesiae purioris Doctorem, epistola quadragesima secunda ad Procopium, virum illustrem, scripsisse: constitutum sibi esse, omnem Episcoporum, & eruditorum congressum fugere, ὅτι μηδεμίας συνάδε τὸ τέλος εἰδον χρεῖσθαι, quod nullius synodi finem viderit felicem. Iniquam certe hanc in omnes conventus, & de rebus divinioribus disputationes censuram, doctissimo, & pietatis studiosissimo Theologo, expressit quarundam consideratio, quibus non veteres controversiae sopita, sed novarum semina sparsa, & certamina ecclesiastica, satis aliis funesta, funestiora reddita sunt & exasperata. Pertinaces enim contentiones, quæ Nazianzeniana querela est, & dominandi cupiditates, ne ullis quidem verbis explicari queunt: citiusque aliquis in culpam vocabitur, dum de aliena culpa judicium fert, quam ut aliorum perversitatem ipse comprimat. Plurimos tamen congressus, plurimaque de religione inter partes litigantes instituta colloquia, ecclesiae salutaria fuisse, tum evangelica historia: quæ Christum cum Pharisæis, Sadducæis & Legisperitis disputantem intro-

du-



ducit: tum antiquitatis ecclesiasticæ monumenta, sa-
tis testantur & evincunt.

§. II. Atque hic initio stultas vulgi opiniones ni-
mum confutare, operæ pretium non duco, existi-
mantis: colloquium illud inter Hamelmannum, &
Calvinianos Jeverenses, prorsus inutile fuisse, cum post
illud non subsecuta sit Quantii & Meppelensis con-
versio, & errorum palinodia. Hi certe effectum me-
tiuntur ex suo cerebro, politico magis, quam Theolo-
gico. Per multæ enim leguntur Christi, cum multis
adversariis, concertationes: magna fuit Stephano Pro-
tomartyri cum Hierosolymitanis disputatio, de abro-
gatione ceremoniarum Mosaicarum, & patefactione
Messiae: neque tamen obstinati Judæi propterea, op-
inionibus suis abjectis, in Christianorum castra con-
cesserunt. Lutherus, currus & auriga Israelis, cum
Zwinglio collocutus est Marpurgi, verum nec hic con-
versus; imo, quod indurationis argumentum est, se
ipso deterior est factus, paganisnum quendam intro-
ducendo, &, quæ Viri liberalitas erat, gentilibus fa-
ludem promittendo. Ipse Philippus, quo nomine
Jeverensibus nihil erat antiquius, complurimis collo-
quiis cum Pontificiis interfuit, & præfuit, Ratisbonæ,
Wormatiæ, Spiræ; ostendant autem Philippistæ, quod
illi, abjectis Romanensium idolis, & horrendis Papi-
starum abominationibus, ad piam, aut saniorem men-
tem redierint? Indefecatae evangelii doctrinæ con-
ser-

servatores, Martinus Chemnitius, Jacobus Andreæ, Nicolaus Selneccerus, & alii præstantissimi Theologi, nec forum declinarunt, nec arenam subterfugerunt, sed cum Wolfgango Amlingio, Eranista illo Servestano, collocuti Herzbergæ in Saxonibus sunt: num vero Amlingius inde emendatus, aut correctus? Sane, omnibus constat, nihil prius huic homini fuisse, nihil antiquius, amore Calvinismi. Huic omnia litavit, quæcunque in terris Anhaltinis fecit: cetera, parum, aut nihil curavit. Hinc non modo nulla ejus animum cura subiit, verane sint an falsa, quæ scripserit, quæ Servestæ docuerit, sed convictus etiam, falsa eum scripsisse, & erronea docuisse, gloriae, quam à Philippistis aulicis aucupabatur, jacturam metuens, quidvis potius agere, quam delere & confiteri errata, pulchrum duxit. Ineptire ergo mihi videntur tales critici, & à Theologis signa & miracula expetere, qui fructum colloquiorum, ex hæreticorum emendatione, & sententiarum retractatione dimetiuntur. Non enim est ex eventu de consiliis & actionibus Theologorum judicandum, qui ex gubernatione divinæ providentiæ dependet. Universalis est promissio & consolatio, proposita ecclesiæ Doctoribus: *labor vester non erit inanis in Domino*, Esa. LXV, 23. i. Cor. XV, 58. *Verbum, quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud*, Esa. LV, 10. ii. Quare, cum dextra Domini abbre-

breviata non sit, & promissiones divinæ sint indubitatæ, nullius est, præcipiti judicio, Dei opera antevertere, carpere, aut condemnare.

§. III. Sed, his sepositis, optima cum spe bonæ frugis, videamus potius, quem usum ex colloquio Jeverensi ecclesia percepert. Primo quidem negari nequit, quæstiones, de integritate sacramenti altaris, de medio remissionis peccatorum, efficaciter applicandæ, & fidei confirmandæ, de bonis item testamentariis, &c. hoc colloquio Jeveræ discussas, tales esse, quibus salutis Christianæ fundamentum nititur. Atque istarum quæstionum veritas, in colloquio non tantum fuit proposita, sed & propria, ac genuina earundem sententia docte enodata. Quod enim proverbio dici solet: Vir virum acuit, id in congressu Jeverensi locum habuit, ubi, quid pro nostra sententia de vera & substantiali præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna afferri, quid eidem posset opponi, evidenter cognitum fuit. Et certe toti ecclesiæ orthodoxæ, hoc negotio, palam innotuit, ecclesiarum Oldenburgenium confessionem ita comparatam esse, talibusque oraculorum cœlestium fulcris, & Patrum testimoniis inniti, ut conspectum Calvinianorum, & judicia Philippistarum non extimescat. Magna hodiendum apud Reformatos admiratio est Hardenbergianæ eruditio. Affirmare tamen ausim, nihil hoc tanto nomine dignum ab Hardenbergianis in colloquio Jeverensi præstitum esse,

deinceps adeo magnifice extollendi Hardenbergium, & deformandi Hamelmannum. Quare nullum est dubium, plurimos infirmos ex Jeverensibus, hoc actu mirifice fuisse confirmatos in agnita veritate, ubi vide- licet eam à Quantio & Meppelensi, nec quicquam im- pugnatam fuisse, cognoverint.

§. IV. In primis, qui utilitatem colloquii Jeveren- sis attentius metiri voluerit, is etiam atque etiam se- cum cogitat, quod in eo patefactæ sint absurditates, & in lucem protracti errores doctrinæ Calvinianæ, quos Hardenbergii defensores, scribendo, aut occulta- runt, aut, obscura oratione, ita indicarunt, ut ab orthodoxis intelligi non potuerint. Quis obsecro cre- didisset, Calvinianos in terris Jeverensibus tam tetras sententias fovisse, tot abominandas blasphemias, qui- bus cœlestem veritatem non modo impie arrodebat, sed & pedibus quasi conculcabant, & ludibrio expo- nebant, sine omni pudore, propugnavisse, nisi syrra- xis ista in colloquio Jeverensi, tot tamque horrenda paradoxa, & monstra opinionum adversariis expres- sisset? erant ea, fateor, etiam antea scripta in Zwing- glii, Oecolampadii, Bezae, Calvini, & Hardenbergii chartulis, quas decem nemo plaustris Jevera Oldenbur- gum provehat; sed nunquam, tanta perspicuitate & confidentia, consignata fuerunt aut defensa. Proinde, qui fructum colloquii Jeverensis scire desiderat, is tanquam in fascem colligat absurditates & errores, à Cal-



Calvinianis Jeverensibus, publice prolatos & defensos, atque in iis ideam religionis Calvinianæ consideret & contempletur. Sed tota hujus impietas, ea que stupenda, ab Hamelmanno masculine est detecta, refutata atque protrita.

§. V. Tandem, colloquium istud, eo fine etiam coactum est, & Jeveræ concelebratum, ut purior doctrina, in corpore doctrinæ Oldenburgen sis, à Selneccero & Hamelmanno proposita, à tota ecclesia Jeverensi confirmaretur, veritas magis magisque illustraretur, & propagaretur, &c, ut adversariorum dogmata penitus cognoscerentur, & responsones illæ, Calvinianis Jeverensibus dataæ, aliquando testimonium essent, contra insanabilem eorundem pertinaciam, contra obfirmatam, in defendendis falsis sententiis, perviciaciam, & contra Vatinianum concordiæ in dynastia Jeverensi odium. Hanc enim ecclesiæ pacem, monstravit Hamelmannus, probe gnarus: pace ecclesiæ, propriam pacem contineri, & à tranquillitate ecclesiarum, ipsius etiam dynastiæ Jeverensis incolumentem pendere: monstravit etiam media, quorum præsidio non modo illa & procurari & firmari, sed & remoræ, quæ quovis modo concordiæ, inter dissidentes Jeverensem Pastores, incundæ, rationes turbare, vel plane tollere possint, removeri debeant. Neque in cassum laboravit, laboriosissimus Theologus. Sanavit Babylonem, & sanata est. Atque hoc demum vere

est gemiscentis ecclesiæ miseratione tangi, & pro aris
& focis depugnare.

§. VI. Ante vero, quam concludamus hoc caput, plurimum refert, probe nosse Sacramentariorum, & fanaticorum hominum artes, pravosque mores, quos colloquium Jeverense vivis coloribus depingit & commonstrat. Magnus gentium Doctor, i. *Tim. VI*, 3.4. indicat quasdam notas, quibus agnosci possunt falsi Doctores, nimirum: *quod aliter doceant, neque accedant sermonibus Domini nostri IESU Christi, neque ei doctrinæ, quæ secundum pietatem est, quod attoniti sint, & à veritate alieni, menteque corrupti, à quibus est recedendum.* Eosdem mores, maxime perversos ac detestandos, in Quantio & Meppelensi, contemplamur & notamus. Nam, quod primum indicium est, non erant contenti simplici & plana doctrina Evangelistarum & ecclesiæ Christi: sordebat illis Catechismus Lutheri, & peregrinum quiddam & novum, ex Hardenbergii schola, studebant adferre, ut in terris Jeverensibus sibi compararent autoritatem. Porro, nihil faciebant doctrinam Christi testamentariam, sophistice eludebant spiritus sancti oracula, aut superbe aspernabantur. Apertissimis scripturarum verbis, erroris convincebantur, non tamen movebantur, ut locum darent veritati, & errata profiterentur. Adhæc, doctrinæ, quæ poscit illibatam pietatem, quæque ab illa separari non potest, ut motus non separatur à vita,



ta, nullatenus accedebant; pleni erant simulationibus, non abstinebant à calumniis & blasphemis, orthodoxam Jeverensium ecclesiam deformabant, cum hostibus veritatis colludebant, nec tristi purioris cœtus scandalō movebantur. Quæ sane non veræ pietatis, sed Pietismi abominanda est doctrina, vim pietatis abnegans & evertens. Tandem, inflati erant & superbi, & turbine quasi dementati, ut sanam de sacra coena doctrinam suscipere non potuerint. Postremo, non adhibebant fidem institutioni Christi, non tribuebant Deo veritatis laudem, sed, pro sua libidine, sacras literas contorquebant, & oraculis Spiritus sancti abutebantur, perinde ac si tesseris luderent, ut incautis, & minus exercitatis insidias struerent ad decipiendum, & ad instillandum errores. Sed Deus, justissimus judex, extremam hanc malitiam, & veritatis privatione, & cœcitatis percussione, graviter vindicabat, ut error errorem generaret. Nescit enim terminum error, qui tranquillum fidumque veritatis portum semel reliquit. Et ab hisce moribus, ac Jeverensium Sacramentariorum notis, non absunt illi, qui, nostra ætate, sub pietatis prætextu, religionem, à Lutherò reformatam, allatrant, puriorem Dei cœtum conturbant, ejusdemque ministros, ac intemeratae fidei assertores & vindices, hostili animo insectantur. Namque & illi aliena docent, & nova scribunt, & peregrina promulgant. Gratiam Dei limitant, eamq; cum

cum Terministis, fatali quadam periodo constringunt, quin etiam Asseburgicas, hoc est, musteas, inauditas, novas, ac peculiares visiones & revelationes jactant, iisque ecclesiam distractant: sedet illis simplex & plana doctrina veterum Theologorum, imo, cum Petersenio, hortendi ingenii Viro, cum Langio, cum Arnoldo, Dippelio, aliisque erronibus, nova dogmata ferunt, de salute Dæmonum; ignota Christo, ignota Prophetis, & Apostolis. Nihil autem perniciosius est ecclesiis, novis & peregrinis dogmatibus: fidei enim nervos incident, implent homines securitate profana, pariunt dissidia perpetua, & contentiones movent, persecutio[n]es, & evertunt ecclesias. Etiamsi homines Plani, erroris convincantur, perspicuis & evidentissimis testimoniis Christi & Apostolorum, nihilominus perfistunt in sententia concepta, & profane derident pias & nervosas orthodoxorum censuras & refutatio[n]es: Nihil enim faciunt Dei verbum, neque ulla oraculorum perspicuitate adduci possunt, ut sermonibus sacris, & scripturarum fundamentis habeant fidem, cum & ipsam fidem non tam exigere vera, quam pia dogmata, non sine horrore, scribant & promulgent: id quod satanicum plane furorem sapit. Permagna quidem hypocrisi simulant pietatem, & jactitant amorem singularem, sed meræ sunt præstigiæ, & fucus: charitatem quidem veritati, sed pessime, anteferunt, nihilominus, ex charitatis lege, salutaria submonentes,

&

& saniora inculcantes, superbe contemnunt, nec errores suos revocant, aut delent, sed mordicus & superbe defendunt, quibus fascinati tenentur: non agunt pœnitentiam, nec fidem habent, quæ est fundamentum pietatis; sed infidelibus, & divinæ veritatis hostibus adulantur, eorum nærias & improperia, quasi cœleste quidpiam spirent, magnifice extollunt, palliant, & prologis suis galeatis luci exponunt: contra, orthodoxorum scripta inter reliquias Papatus referunt, & ecclesiam puriorem Babelismi nomine traducunt, aliisque horrendis calumniis deformant, onerant & conspurcant: quin & nova dogmata, ceu veritates, provehendæ pietati cum primis idoneas, juventuti instillant, ea que sub specioso *eterni evangelii* nomine, tueruntur ac propugnant, qualia genuinæ pietati, quæ sine fuso est, plane non conveniunt. Pii videri volunt, recte, non sunt, sed videntur. Si enim essent, veritatem sine pietate non allatrarent, nec novam quandam pietatem inveharent, nec ecclesiam peregrinis, & pietati adversis opinionum portentis turbarent. Quod manifestam impietatem sapit. Sunt etiam turmidi & arrogantes thrasones, ut ne seipso quidem agnoscant: novos Prophetas, novos Reformatores, quin imo, cum genere hominum perfecto & plusquamperfecto, perfectos se jactitant, in vita imperfecta, & propriam suam umbram, cum Alexandri Bucephalo, in sole admirantur. Sua commenta pluris faciunt, quam Dei verbum, quod

t

non



non loquendi, sed vivendi normam constituunt, ludunt suis opinionibus, horribilique odio persequuntur, & sanam doctrinam, & orthodoxos ecclesiæ Doctores, quos libellis famosis arietant, & omni convictionum genere infestant, eosque superioribus, quin & populo, variis artibus & dolis, invisos reddunt. Unde fit, ut veritate priventur, & horrenda cœcitate percussiantur. Qui enim & ambitione, & profano novitatis studio, veritatem cœlestem impugnant, in horrendos errores abripiuntur, & tetra opinionum portenta, quæ extingvunt fidem & omnem pietatem. Id quod res ipsa loquitur. Hoc autem fit justo DEI judicio. Pura enim evangelii doctrina censentur indigni, qui aures à veritate avertunt, & mannam cœlestem fastidientes, carnes postulant: hoc est, qui ad verbum Dei naufragant, & fanaticas mysticorum opiniones audire & amplecti gestiunt. Tales vero profani & fanatici homines, qui Pietistarum nomine se efferunt, singulare studio, vitandi sunt, aversandi, & susque deque habendi: ex eo capite, quod sunt pestes nocentissimæ, qui alios facile inficiunt, & scabiem suam, atque impios mores, aliis mox affricant. Nec est, quod spem conjiciamus, posse nos placare ipsos, nostro officio, & mansuetudine nostra ad concordiam invitare, aut Christiano servitio revocare ab erroribus ad mentem saniorrem. Sunt enim ex eo ferarum genere, quæ nunquam cicurantur, hoc est, pertinacissimi sunt in malo, & cum

Quan-



Quantio & Meppelensi, ferream habent cervicem, quæ
flecti nequit: sunt ergo judicio divino committendi,
& assidue à nobis orandum, ut Deus illorum machi-
nations reprimat & impedit. Interim, peregregio
Hamelmanni exemplo, redarguendi sunt illorum er-
rores, taxandi sunt, pungendi, accusandi, graviter re-
futandi, & ora ipsis obturenda. Evidem viri am-
bidextri, Theologi hujus seculi, non intrepidi, sed te-
pidi, & Lutherano nomine dealbati, ejusmodi Theo-
logiam cupiunt, precantur & exoptant, atque hujus fa-
rinæ Doctoribus, Professoribus & collegis delectantur,
qui cum adversariis non contendant aut digladiantur,
nullius doctrinam vituperent, ut maxime ab ea dis-
sentiant, sed ita, quod verum est, doceant, suisque in
scholis, in Gymnasiis & Academiis inculcent, ne alios
tamen acerbe reprehendant, ne forte pax publica per-
turbetur: Si quis secus fecerit, & se falsis fratribus, ho-
minibus Laodicæistis, & ecclesiæ proditoribus oppo-
suerit, statim apud illos, turbator pacis, vir rixarum,
contumax, contentiosus, &c, quod horrendum dictu-
est, furiosus audit. Quæ calumnia tam altas, in mul-
torum animis, radices egit, ut veritatis vel parva, vel
plane nulla ratione habita, etiam cum ejusdem jactu-
ra, certamina illa sublata optent. Et hujus generis ho-
mines, passim in aulis Regum, & Principum, quinimo,
in Academiis quibusdum, hodie reperiuntur, qui cum
pietate magnam prudentiam conjunxisse sibi viden-
t 2 tur:



tur: metuentes, ne cœlum ruat, si falsi doctores, Sacramentarii, homines fanatici, Indifferentistæ, Syncretistæ & Pietistæ, pro meritis, à fidis ecclesiæ ministris, excipientur, & paulo durius tractentur. Verum, hac ratione Hamelmannus, cum suis Parastatis, tanquam pacis, & tranquillitatis publicæ perturbator, censendus erit, qui Quantio & Meppelensi, aliisque erronibus, ne ad momentum quidem cessit: sed ad exemplum Christi, Prophetarum, & Apostolorum, & Patrium primitivæ ecclesiæ, sua perfecit, adeoque argvendus non est, sed collaudandus, quod falsæ doctrinæ, & errorum propugnatoribus, serio, graviter & constanter se opposuerit, eosdemque ardenti zelo taxaverit, & redarguerit. Non enim Hamelmanni, sed Dei, & veritatis hostes erant, non resipiscentes, sed incorrigibiles, & in erroribus Sacramentariorum morose perseverantes: his larva detrahenda erat, ut spiritus tenebrarum in illis cognoscatur: his parcere, non Theologica moderatio erat, sed immanis quædam crudelitas, & horrendum peccatum, in legem charitatis, in DEUM ipsum, & fidelium salutem. *Charitas*, inquit Petrus ex Salomone, *operit multitudinem peccatorum*, sed, ut limatissimi ingenii Theologus D. Andreæ contra Grynæum, convenientissime submonuit, vitæ duntaxat, non doctrinæ; hæc enim non tegenda, non dissimulanda, sed revelanda, & cum suis Doctoribus, aperte redarguenda est & condemnanda. Omnia nam-



namque tolerare potest Theologorum charitas, præterquam doctrinæ coelestis impugnationem, & æternæ veritatis corruptelam.

§. VII. Quæ cum ita se habeant, ut habent omnino, fieri nequit, quin verus ingenusque rerum æstimator, serio improbet, ac detestetur, obscuri illius, apud Sarmatarum populos, Scriptoris Jesuitæ Stanislai Winolniskii inscitiam & audaciam, quod in propudiosis suis chartis, *de ecclesiæ vulneribus sanandis cap. 2.p.23.* Hamelmannum, colloquii Jeverensis parastatam, & turbatorem, & hominem Sacramentarium, & inter Lutheranos Phrisios Lutheranorum hostem appellet. Fateor, quod, ne hariolando quidem, conjicere possim: cur Hamelmannus Sacramentariis, turbonibus & Anti-Lutheranis annumeretur, qui nullum unquam consensum aut collusionem cum Sacramentariis edidit. Sed placet, quid velit homuncio, quid vellicet, quid carpat, quid calumnietur, proprius intueri. Quomodo enim ille turbator audit, qui omnium turbarum infensissimus hostis, pacem amavit, coluit, promovit, ac concordiam Oldenburgenses inter & Jeverenses, felicissime ordinavit & fanevit, & disturbatum ecclesiæ statuim, integrati suæ, ac pristino nitor ac puritati restituit, & illius vulnera sanavit, &, quod sanctum Theologum decet, fracturas Josephi deploravit. Quanta est isthæc, in tenebrione, veræ historiæ crassa, & palpabilis ignorantia, quod eum Sacramentarium pro-

nunciet ac calumnietur, qui, per totum vitæ decursum, à Sacramentariorum portentis abhorruit, eorumque argutias, coccysmos, & blasphemias, & stylo improbabit, & voce protrivit, & in publicis eruditorum congressibus conculcavit, ac condemnavit. Imo, quonam jure, *Lutheranorum hostis inter Lutheranos* ille nominatur, & tanquam ecclesiæ proditor, à Romanæ Thaidis amasio, prostituitur, qui ne sub specie quidem plausibili laudatæ alicujus moderationis, veritatem religionis Lutheranæ prodidit, sed ecclesiam, Lutheri opera reformatam, inter Lutheranos, frendente orbe & orco, defendit, fidei Lutheranæ decus afferuit, augustum Augustanæ confessionis symbolum vindicavit, solidam veritatem indagavit, inventam perspicue explicavit, & late propagavit, explicatam vero valide munivit, ac luxuriantes Calvinianorum segetes, in irrigua illa Jeverensium dynastia, fortissima manu cohibuit & repressit. Edisserat, obsecro, si Vir est Winolskius, contrarium. Contrarias vero Sacramentariis, non autem Lutheranismo sententias, Hamelmannum aperte tenuisse, totumque nostrum extitisse, & Calvinianis adversum, ex illis ipsis, quæ ad illustrem Virum, *Cassarem Schelenium*, arcis Schelenburgensis in Gvestphalia possessorem, anno cl^o l^o LXIX. perscripsit, ad oculum ostendo. *Dicam de causis* (inquit Hamelmannus, in dedicatione libelli, *de liturgia Calvinianorum*, quod ea non sit conformis litur-

liturgiæ, quæ fuit semper usitata in primitiva ecclesia.)
cur ego nunquam in Zwingianorum castra descendere
possim, nec aliis bona conscientia svasor esse, ut ipsi se se
Calvinistis adjungant. Hanc in rem permultas ratio-
nes, easdemque validissimas, allegat, quarum PRIMA
est, quod hujusmodi gemmam æsopicam, hoc est, opinio-
nem Sacramentariam, ut scribit D. Tilemannus Heshu-
sius, & D. Erasmus Alberus, invenerit Zwinglius in epi-
stola, Batavi cuiusdam cistæ inclusa: deinde, quod hæc
Zwinglius per somnium sibi revelata, à quodam monito-
re, nescit autem aterne vel albus fuerit, scribat. Caro-
lostadius vero, ex odio Lutheri, suam excogitavit hæresin,
ut multis bene notum est. SECUNDA causa est, quod
& cum hereticis omnibus, suum habeant principium, ex
Philosophia & Geometria, discendentes à verbo Dei, dum
ajunt: verum corpus esse tantum in uno loco. TERTIA
causa est, quod Sacramentarii ipsi, secum dubitent, de sua
ipsorum doctrina. Id quod ex Oecolampadii & Zwin-
glii epistolis non tantum enarrat, sed etiam probat,
quin & Bilibaldum Pirchaimerum sistit, ad Oecolam-
padium, hunc in modum scribentem: Accuratæ tuæ,
& nimium sollicitæ argumentationes, circa singula mo-
menta, in eucharistica causa, anxie luctantes, causam tu-
am omnibus reddunt suspectam. Splendidus enim & af-
fectatus ille apparatus, verissimus est animi tui index, &
proculdubio à depravata & anxia conscientia profici-
tur. Nam & Quintilianus dicit: multa argumenta ipsis
præ-

præparationibus fidem amittere. QUARTA causa est, quod in explicatione verborum Domini in cœna dominica, valde inter se pugnant. Nam Zwinglius ad Est, pro significat, sumit. *Carolostadius* pronomen demonstrativum r̄s̄o, non ad panem, quem Christus porrigebat, sed ~~demonstrativum~~ ad personam Christi, in mensa sedentem, referendum esse contendebat. *Oecolampadius* contra, iusit in voce corporis, quod dixit, non pro carne Christi accipiendum, sed pro figura corporis absentis. *Calvinus* inquit; corpus quidem Christi porrigi in cœna, sed per corpus intelligi vult virtutem & efficaciam corporis, non ipsam substantiam. *Martyr* sic ordinat verba cœnæ, vel potius invertit, ut per corporis præsentiam, fidei perceptionem intelligat. *Beza* autem repetit Zwinglii opinionem. QUINTA causa est, quod Sacramentarii non sint ingenui in sua confessione, sed quod simulent & dissimulent, nunc se occultent, nunc se prodant, & plerumque sint ambigui, varii, & insidiosi. *Calvinus*, recepit verba Augustanae Confessionis, ubi dicitur: vere & substantialiter sumi & exhiberi cum pane & vi no corpus & sanguinem Christi, & interim ille negat, secundum substantiam exhiberi corpus. Vivo Lutherò, se aliquo modo occultavit, & non prius, nisi, illo mortuo, iniit rationem concordiae cum Tigurinis, qui tamen semper rejecerunt verborum formas in Augustana Confessione, quas recepit Calvinus. *Wolfgangus Musculus*, cum reliquis Doctoribus superioris Germania-



maniæ, subscripsit formulæ concordiæ. Sed postea, profectus Bernam ad Helvetios, eam repudiavit, & formulam illam loquendi: cum pane & vino, exhiberi corpus & sanguinem Christi, in locis suis communibus, reprehendit: Pari modo, ad Augustanam Confessionem ambigue provocant *Heidelbergenses* Theologi. *Albertus Hardenbergius*, quomodo se Bremæ occulta-
verit, quomodo in Prothei morem, nunc huc, nunc illuc se inclinaverit, & in suis scriptis, & simul Brunsvigæ in synodo, plusquam notum est. SEXTA causa
est, quod ipsi Sacramentarii atrociter quidem pro sua
sententia digladiari videantur, interim pro levi re illam,
si penitus inspiciamus & consideremus, habeant. Pro
illa ratione ita concludit Hamelmannus: Cum Sacra-
mentarii, Zwinglius & Oecolampadius, in colloquio
Marpurgensi, à Lutherò pro fratribus agnosci cupive-
runt, manifestum est indicium, eos opinari: doctrinam
de cœna Domini, esse inter Adiaphora ponendam, ac pa-
rum referre, utram sequaris, remque esse parvi momenti.
SEPTIMA ratio est, quod plerique eorum, turbas dederint.
Id quod clarissimis exemplis evincit. *ZWING-
LIUS*, causa fuit belli Helvetici, & in eodem bello per-
iit ipse: *Quam tumultuose ubique egerit CAROLO-
STADIUS*, plusquam notum est. Quid alii multi ege-
rint, patet multis: quomodo Bremæ, & ipse *D. HAR-
DENBERGIUS*, & ipsius discipuli, ac adhærentes, tur-
bas Bremæ dederint, & *D. Simon Musæus*, et alii, perspi-

u

cuis

*cuis scriptis declararunt. Discursionibus suis, passim in
Danicis, Vandalicis, & Saxoniciis civitatibus turbavit
ecclesias MARTINUS MICRONIUS, cum suis Sociis.
WILHELMUS CLEINVITZIUS, & in Palatinatu, &
alibi, idem tentavit. Quid egerit apud nos WALTHER-
RUS TURNERUS, dimissus à Senatu, & VVILHELMUS VOSSIUS, Osnabrugæ: quid proderit hoc refer-
re? Veniam nunc ad inferiorem Germaniam. HER-
MANNUS STRICKERUS cum suis, inter quos potest
ISEBRANDUS BALCKIUS numerari, quomodo pas-
sim & Proceres & simplicem plebem excitaverit, quis est,
cui istud possit esse tacitum? OCTAVA causa est, quod
etiam plerique eorum, videantur ordinem, & decorum
veteris ecclesiæ contemnere, & omnia, quæ absque ulla
impietate, observari possent, de veterum Patrum more,
& ex laudabili antiquæ ecclesiæ consuetudine, rejicere:
ut sunt dies festi. NONA causa est, quod plerumque
ex una vocatione ad aliam transierint Sacramentarii.
Quod ut demonstret, varios desultoriæ & pudendæ, in
vocatione & religione, levitatis homines allegat. Beza,
inquit, ex Jureconsulto factus est Theologus, ex Medico
Micronius Theologus: ex Causidico & Jureconsulto
Isebrandus Balkius Concionator Calvinita: ex Con-
cionatore Calvinista, factus est Fusibadius Causidicus:
ex Theologo & Concionatore Calvinista, factus est
VVilhelmus Cleinvitzius Geometra & Mathematicus,
& gloriatur etiam postea in editis scriptis: se jam non
esse*



esse amplius Theologum: Victorinus Strigelius, factus est ex oratore Lutheranus Theologus; ex Lutherano, Erasmicus ac Localista: tandem, ex tali Protheo, factus est Zwingianus, & in illorum castra transiit, manibus, ore, & pedibus. DECIMA, quam subjungit, causa, hæc est, quod autores dogmatis istius, nostro tempore, misere perierint. Nam, ut multi ex nostris Theologis, solenniter annotarunt, horribiliter periit Carolostadius, necatus à Satana: Zwinglius, in acie, subito, & gravissime periit: cuius morte audita, turbatur Oecolampadius, & mox mœrore occumbit. Addit UNDECIMAM causam, quæ ita sonat: quod ex opinione Zwingliorum, & eorum doctrina, & Christi, & ipsius Sacramentorum sequatur contemtus: quod ego & in Frisia, & in inferiori Germania, re ipsa, non sine horrore, expertus sum, quia multos audivi ironice, contemtissime, & turpiter loqui de tantis mysteriis, & de præsentia corporis Christi in cœna: Quam in rem, & Zwinglii blasphemias allegat, qui eucharistiam vocavit, Deum impanatum, esculentum, coctum, frixum ac pistum. De Petri Blokii, & Isebrandi Balckii verbis, nihil subjungam, ne piorum aures offendantur. DUODECIMA causa, qua totum tractatum concludit, sequens est: quod vestitatis doctrina, nostræ, non vero Sacramentariorum sententiae sit conformis. Nam sancti Patres in diversis suis scriptis, palam & aperte dicunt: corpus Christi, ejusque sanguinem, vere porrigi & esse in cœna. Sed

nusquam legitur, apud ullum probatæ fidei Doctorem, & Patrem veteris ecclesiæ, expressis verbis: Non est corpus Christi in cœna.

§. IIX. Quam falsa itaque fuerit Winolskii, de Hamelmanni doctrina, relatio: ex iis, quæ haec tenus à nobis sunt recensita, sole meridiano clarissima patescit. Lutheranā fidem, ut constat, publicis scriptis professus, & eidem, quod ex supra dictis repetimus, immortuus est. Præcipue autem, veritatem articuli eucharistiæ in colloquio Jeverensi, ita patefecit, illustravit & comprobavit, ut successores Hamelmanni, Hamelmanno per mortem sublato, de levibus & vanis Sacramentiorum opinionibus, victoriæ laudem exiguo negotio reportare possint. Et hæc, quæ potui, quanquam plura debui, innocentia, famæ, & orthodoxia Theologi orthodoxi, deque ecclesia meritissimi, litavi: qui nihil magis voveo, oro, atque precor: quam, ut eidem, dudum denato, nati succrescant similes, qui ecclesiæ Lutheranæ salutem ac incolumentem, nec minore spiritu, zelo & orthodoxia, nec infeliciori successu tuerantur atque defendant.

CAP. VII.

POST-COLLOQUIO
J E V E R E N S I.

§. I.

Qui perpetuus mali genii mos est, ut, turbatum

pu-



puriorem DEI cœtum, magis magisque disturbet, e-
jusdemque successum & florem, quanta potest auda-
cia, infringat: idem, post habitum, cum Quantio &
Meppelenſi, colloquium, apud Jeverenses obtinuit.
Vix enim illos debellaverat Hamelmannus, cum præ-
ter alia impedimenta, hoc etiam eidem objiceretur,
ut WEMPO OITENSIS, homo quidem obscurus,
sed perfictæ frontis, & audaciæ magnæ, ex Belgio,
monstrorum alias satis ferace, spem præter omnem, ac
opinionem, profiliret, & immotam, quam ille Jeveræ
propugnaverat, doctrinam, temerario ausu impete-
ret, allatraret, arroderet. Res, Dei beneficio, eo jam
erat producta, ut liber ille ecclesiasticus, corpus doctri-
næ Oldenburgense intelligo, à Theologis Jeverensibus
eſſet approbatus: nec quicquam restaret aliud, quam
ut solenniter subscriptus, omnibus ecclesiarum mini-
ſtris in Oſtringia, Rуſtingia & Wangerlandia propo-
neretur. Hinc, quantum damni & impedimenti Cal-
vinianis ſit emersurum, probe animadvertebat ille,
qui infenſiſſimus pacis & concordiæ hostis eſt. Vi-
debat nimirum, jugulum & cor ſuum peti, & omni-
bus erronibus, & Doctoribus fanaticis, omnem occa-
ſionem præcidi, omnemque rimulam præcludi, quo
minus amplius ſub moderationis nomine latitare, &
virus ſuum clam, & quidem, ſub honesto prætextu, in
terrīs Jeverensibus ſpargere poſſint. Experiebatur,
graviter detectos eſſe, & ſolide refutatos, & plane ex-

u 3

ſibi.



sibilatos errores, quibus Philippismus laborat, & sub quo Meppelensis & Quantius dogmata Calviniana hactenus occultarunt & palliaverunt. Cernebat, controversos religionis Christianæ articulos, in libro Oldenburgensi, ita decisos ac definitos, ut adversus eorum soliditatem ne portæ quidem inferorum sint prævalituræ. Prævidebat denique, nihil superesse spei & consilii, quo quidem subscriptio & promulgatio libri irenici impediri & everti possit. Quapropter de alio auxilio, & novis technis solitus fuit.

§. II. Quid factum? excitavit hominem turbulentum, Calvinistam audaculum, & dicaculum sophistam, Wemponem Oitensem, ut apertam ille veritatis viam in dynastia Jeverensi obstrueret, &, objectis veluti repagulis, impediret. Nam cum Meppelensis & Quantius armis & robore inferiores essent, quam ut Hamelmanni spiritum & eruditionem sustinere possent: Wempo, precibus aliorum motus, suppicias illis latus, ceu Troilus quidam, in orbem prorupit, atque Hamelmanno, invicto illi Jeverensium Achilli, semet opposuit. Ingentem ex colloquio Jeverensi laudem consecutus noster erat, adeo, ut hominum scriptis & sermonibus, undiquaque celebratur Hamelmannus, ab iis præcipue, qui egregiam viri eruditionem, & infinitam, & plane stupendam, in rebus divinioribus, & archæologia sacra, lectionem, & summam disputandi peritiam ac dexterita-



ritatem, cum intrepido contra Adversariorum ron-
chos animo conjunctam, amabant, evehebant & ad-
mirabantur: hinc inquietus ille, & ferox Oitensis, ho-
mo Calvinianus, aliorum Calvinianorum precibus in-
ductus, & ipse ambitionis stimulo impulsus, in id om-
nibus nervis incubuit, ut si palmam, in colloquio Jeve-
rensi reportatam, tanto Heroi, & Theologo præripere
non posset, certe dubiam redderet, & facinus omne
laude majus, juvenili quadam audacia, & cordatorni-
bus ingrata dicacitate, obscuraret. Tentavit hoc fa-
cinus Wempo, eodem, quo colloquium Jeverense ha-
bitum est, anno, supra sesquimillesimum septuagesi-
mo sexto: errant enim, & toto anno errant, decepti à
Johanne Wigando, qui, anno demum sequente, coa-
ctum hoc fuisse, scribunt & promulgant.

§. III. Per multum autem interest, scire, ex qua-
nam schola prodierit VVempo, & quosnam Duces
secutus ille fuerit: ex hisce enim facile judicare est,
quid de discipulo, & scholæ alumno, ejusdemque do-
ctrina, sit habendum. VVemponem vero Petri Ra-
mi, & Casparis Oleviani autoritate, in erroribus suis
fuisse confirmatum, nemo dubitat, qui in Post-Col-
loquio legerit, quantum tribuerit Duum - virorum
istorum depravato judicio, & quomodo publice pro-
vocaverit ad eorundem scripta & consensum. No-
strarium labores, sani & orthodoxi, & ad omnem pie-
tatem compositi, ipsi fœtebant, sordebat, & ceu-
pro-

profani & illaudabiles frigebant: contra, illorum næ-
nias, tanquam ancilia, cœlitus dilapsa, evehebat, col-
laudabat & admirabatur. Erant autem, Ramus & O-
levianus, Calvinismo probe imbuti, & ecclesiam or-
thodoxam infestabant, eamque, novis sententiis &
inauditis hactenus dogmatibus, ceu veneno, huc atque
illuc inficiebant. Præterea, Rami consiliis, Hugonot-
tæ in Gallia nitebantur: sed Oleviani opera factum
est, ut Catechismus Heidelbergensis, in gratiam Calvi-
nianorum, procuderetur, & in ecclesiis ac scholis Pala-
tinatus traderetur. Ergo mirum non est, quod VVem-
po cum Sacramentariis fecerit, ac in conflictu omnia
dixerit ad Calvini sententiam tradendam, explican-
dam, & Jeverensibus inculcandam. Sed melius ille
fecisset, & citra omnem dubitationem, longe rectius
toti suæ factioni consuluisse, si in Belgio mansisset,
nec Jeverensium ecclesiam, coccysmis suis, & inter-
locutionibus afflixisset atque lacerasset: Ut vero, re
ipsa omnibus testatum facheret, se, ex frequentissima
Rami & Oleviani librorum lectione, aliquid reportas-
se, Sacramentariæ opinionis abominationem suam fe-
cit, & criminandi, pervertendique libidinem, & ne-
fandam testamenti Christi impugnationem toti orbi,
et præcipue ecclesiæ Jeverensi, miser ille atque infelix,
ita revelavit, ut omnes boni & cordati eundem Sacra-
mentarium, et impium criminatorem, merito ode-
rint ac detestentur.

§. IV.

§. IV. Wempo, à Sacramentariis conductus, per Frisiā vagabatur, & præstigiis suis nonnullos perversetebat. Studiosum se dixerat esse, verum, non veritatis & pietatis, sed calumniarum & infestationum Magistrum; miro autem artificio didicerat, insinuare sese, in eruditorum familiaritatem: *petebat conditionem*, Hamelmannus ait, hoc est, Doctoris scholastici & Praeceptoris officium prensabat, ubi vero omnia expiscatus erat, tum sese aperiebat, & ecclesiam puriorem calumniis infestabat, nova dogmata excogitabat, sacram Scripturam mire contorquebat, articulos fidei depravabat, & cœlestem doctrinam, ad captum ingenii humani inflecebat: nihil ad rem respondebat, semel concessa & data, mox revocabat, cœlum & terram miscebatur, ut elaberetur, & nihil non tentabat, ut nuper natam Sacramentariorum opinionem tueretur, Zwingianos & Calvinistas, ut homines sanctos & in vita modestos, pios & doctissimos admirabatur: contra, Lutheranos pungebat, & multis calumniis onerabat, & variis coloribus suos ornabat errores, ab Hamelmanno jam tum protritos & refutatos. Unum atque alterum enarrabo. Inde enim æstimari poterit, qualis sit opinio, quæ hujusmodi ratiociniis, tanquam fundamentis superstruitur, & illustre judicium præhebit, qualia perizomata, mens humana sibi conquirat, & conficiat, quando semel constituit, à verbo DEI discedere & aberrare.

§. V. Primum vero, autoritatem Augustanæ confessionis arrodebat, eamque vel plane tollere, vel certe suspectam reddere conabatur. Probe enim sciebat, augustissimum illud symbolum, post Scripturam sacram, ordinationis Oldenburgensis & Jeverensis basin esse & fundamentum, & sufficere ad omnem destructionem impietatis hæreticæ, & ad confirmationem piæ in Christo fidei, hinc illud plusquam hostiliiter impetebat, & omnibus modis exagitabat. Porro, permultis rhetoricas fucis declamitabat: verba coenæ explicanda & intelligenda esse, non sicut in propria & nativa significatione sonant, sed ita, ut analogia cum cœteris Sacramentis servetur: Hinc subjungebat, scripturam perpetuo usū, ubi de Sacramentis agit, tenere certum & peculiarem modum loquendi, nimirum, ut nativa Testamenti sententia deseratur & repudietur. Hæc ita indefinite, & universaliter inculcabat: sed, ubi ad probationes ventum est, tantum singularia quædam, & particularia exempla, ex quibus universalis conclusio nulla ratione confici potest, ab eo adducebantur. Unde siebat, ut varias interpretationes verbis Christi affingeret, convenientes in figmento, de absentia corporis Christi. Contendebat etiam, non opus esse dupli mandatione corporis Christi, sed disputabat, à propria & nativa sententia verborum institutionis discedendum esse, propter hanc causam & rationem, quia satis sit & sufficiat unica, spiritualis scientia,



licet, in cœna manducatio. Præterea, multa alia corrasit argumenta, quomodo cunque ad Sacramentariorum Jeverensium causam contorta, quasi eam voluerit, non tam pondere, quam numero argumentorum æstimari: at enim vero, nolo eadem recensere, sed potius præterire: Neque enim talia sunt, ut opus sit de singulis instituere enarrationem. Errores ejus Sacramentarios, veluti in tabula quadam, saltem indicabo. Negabat in sacra synaxi rem cœlestam, terram relinquebat, putamen sine nucleo: modum summptionis, respectu rei cœlestis, nimirum sacramentalis corporis & sanguinis Christi, impugnabat: veritatem & essentiam Sacramenti à fide sumentium suspendebat, & verborum testamenti Christi sensu nativo, alienum: proprio, tropicum: germano, spuriū turpiter affingebat, & affingendo turpissime violabat.

§. VI. Differam potius de scopo, quem Oitensis sibi propositum habuit, qui procul dubio erat, ut Oldenburgensem ecclesiarum doctrinam, ab Hamelmanno Jeveræ expositam, & immotis scripturarum fundamentis, certissimisque orthodoxæ antiquitatis testimoniis, in publico, cum Quantio, Meppelensi & Japeto, congressu, communitat̄, in solidum labefactaret & convelleret: contra vero, Ramisticam & Olevianam, in gratiam Sacmentariorum, ita assereret ac stabiliret, ut totus Jeverensium tractus, ipsius loqua-

citate & juvenili dicacitate persuasus, vera sententia abjecta, falsam amplecteretur. Ad quem præcipuum scopum, etiam alter, non minus principalis, ut supra constitit, accessit; nimirum, ut Hamelmanni nomen, quod non solum apud nostras recte sentientes ecclesias, sed apud adversarios etiam, præcipue saniores, honorificum esse videbat, oppositionibus suis & declamationibus obscuraret, suum vero, coetero-quin obscurum, in omnibus compitis & Ramistarum triviis illustre & celebre circumferretur. In hisce ope-ram suam posuit Wempo, hoc opus ejus fuit, hæc cogitatio, huc omnia sive consilia, sive artes, viresque comparavit. Id qui ignorat, fateatur, se Wemponis inge-nium & mores ignorare. Sed ab utroque, quem sibi propositum habuit, scopo, non sine nominis sui de-decore, & totius Sacramentariæ factionis labe atque ignominia, imo etiam detimento & pernicie, toto cœlo aberravit. Ad nostram enim, & orthodoxam Oldenburgensem, & ipsius Hamelmanni sententiam labefactandam, misellus Wempo, ne unum quidem testimonium aut argumentum, quod aliqua faltem specie pugnare contra eam videbatur, ex instructissimo sui Oleviani & Rami penu afferre potuit: nihilo minus, de erroribus deferendis, admonitus: non modo eos non deseruit, correxit, aut inconsiderate dicta resecavit, sed, urgente & premente illum spiritu eo, à quo erat ~~τετραφωνεις~~, illos insuper defendit, &, quæ in-fau-



fausta ejus pertinacia erat, novis erroribus accumula-
vit. Habuerunt coeteroquin ipsi Apostoli sua corri-
gata, Lutherus suas habuit palinodias, Augustinus suas
retractationum libros, Baronius sua emendanda, Bel-
larminus suas recognitiones, nullas vero Oitensis a-
gnovit: maluit enim manifestæ veritati obliuctari, &
propugnando antiquos errores, & opinionum por-
tenta, novam conscientiæ adsperrere labem, quam
Hamelmanni monitis cedere, delicta profiteri, revo-
care aslerta, & semel stabilita iterum retractare. At-
que ex hoc fonte prodiit infrunita illa vox, quam, Hal-
melmanno præsente, effutivit: *ad navem proprio, &*
maneo in sententia mea. Hic igitur Post-Colloquii Je-
verensis infelix exitus erat, ut Wempo, tribunitius ille
& refractarius Stentor, ac turbulentus Belga, neque
piorum monitis obtemperaret, neque precibus illo-
rum refipisceret, sed in Belgium multo pertinacior dis-
cederet, & tandem, versa navi, & abjectis armis, in suo-
rum castra transiliret.

C A P. IIX.

CONSENSU RECENTISSIMORUM
REFORMATORUM, CUM SACRAMEN-
TARIIS JEVERENSIBUS.

§. I.

INolevit multorum mentibus opinio, quod nostri

x 3

tem-



temporis Reformati, Majorum suorum erroribus, nuncium quasi remiserint, & rectius cum orthodoxis loqui & credere inceperint. Nec diffiteri possumus, non paucos hodie extare libros, à Burneto, Vogelsangio, Witsio, Leydeckero, Strimesio, Spanhemio, Heideggero, Tilemanno Schenckio, Placettio, Pierceo, Werentfelsio, aliisque clarissimis ecclesiæ Reformatæ Doctoribus compilatos, in quibus, pressis & occultatis quæstionibus, & controversiis illis, quæ inter nos agitantur, talia leguntur, quæ prima specie, & secundum superficiem literæ, nostræ doctrinæ item nullam intendere videntur, ut vel Jovem lapidem jurare quis possit, ipsos idem hodie nobiscum docere, confiteri, sentire & propugnare. Sed, si rem penitus consideremus, & recentissima illa Reformatorum scripta ad trutinam verbi divini exigamus, apparebit, illos ab antiquis Prædecessorum suorum erroribus, nec quicquam discessisse, sed in omnibus iis defendendis, pingendis, emolliendis, propugnandisque, improbo labore, adhuc occupari, quæ à Progenitoribus suis infelici hæreditate acceperunt. Quæ, quomodo vera sint, altius lubet cognoscere.

§. II. Quum vero Apostolo monente, nihil possimus contra veritatem, sed omnia pro veritate, non succensebunt Viri docti, si, quod res postulat, edisseram, & scapham scapham, missis verborum lenociniis, appellam. Quam callide novelli illi Doctores in controversiis, eucharistiam spectantibus, nostras voces imitari,

&



& sermonem, verba, phrasesque disputando, scriben-
do, concionando inflectere, & ad nostra labia accom-
modare neverint, ipsi, artifices in hac arte, omnium
optime neverunt. Affirmant nostræ ecclesiæ, rea-
lem corporis & sanguinis Christi in cœna præsentiam:
affirmant & ipsi. Addunt nostræ, corpus Christi, ve-
rè & substantialiter ibidem adesse: nec dissentire illi
videtur, dum Christum substantialiter in cœna præ-
sentem scribunt, & quidem verbis, adeo speciosis, am-
biguis, & cujuscunque menti attemperatis, adeoque
ad fallendum compositis, ut vix quippiam in iis de-
prehendi possit, quod sanæ doctrinæ manifesto con-
trarietur. Hac primum arte imprudentiores & in-
cautos aggrediuntur, & sophisticem hanc minus edo-
ctis felicissime imponunt, & dogmata sua, nemine, &
sæpius ne centoculo quidem Argo advertente, longe
lateque disseminant: in progreſſu, si quando aliis, qui
honorificum reformatorum nomen affectant, con-
tradicendum est, dissensus capita extenuant, modesti-
am simulant, unionem & pacem ecclesiasticam cre-
pant, & studium irenicum, magno nisu & conamine
prætendunt, atque id agendum svadent, & omnibus
modis inculcant, ut lenitate, & moderatione adhibita,
animi coalescant, silentio potius pax redimatur, quam
veritas afferatur, propugnetur, & ad posteros transmit-
tatur. Sic homines inescare primo sciunt: inde, ubi
eorum animos præoccupatos sentiunt, ex infidiis suis

pro-



prosiliunt, ac dogmata sua liberius proponunt, nullam realem corporis Christi, nisi fide applicati, in coena præsentiam agnoscentes, inque Zwinglii castra jam profugi, lingvam Lutheranam reformidant, planeque abjiciunt, atque adeo plus nocent, quam si aperto marte congressi fuissent. Non enim perpetuum bellum, ita perniciosum unquam fuit, quam si ex induciis derepente bellum exoriatur. Hunc sicut ut detegam, prorsusque elidam, errantes illos Jeverensium, Meppelensem, Quantum & Wemponem, quos à primario erroris dogmate *Sacramentarios* appello, non equidem cum tota ecclesia reformata, sed cum novissimis ejusdem Dogmatistis & Promachis conferam, &, eandem semper ludi fabulam, permutatis tantum personis, ad oculum commonstrabo.

§. III. Apudistæ Jeverenses, nihil fortius negabant, quam quod Christi corpus in sacra coena realiter adsit, distribuatur, & à communicantibus accipiatur. Hinc enim tanto conatu, nullum, adeoque nec Christi corpus in pluribus locis, consequenter, nec in coena præsens esse, pugnabant. Agedum! videamus, quid hodierni, coetus Reformati, Doctores agant, quid musinentur, quid sentiant, & chartis suis illinant? Diccam sine ambagibus: post carecta latent, & summo studio cavent, ne ita concionentur aut scribant, *totum Christum, etiam corpore suo & sanguine*, ut verba testamentaria sonant, vere, substantialiter & essentialiter

præ-



præsentem adesse. Nunquam enim hoc concedent aut fatebuntur, cum illorum hæc non sit candida doctrina, atque ingenua animi sententia. Verum, ut species habent, quam prætendant, in varias formas, Protei instar, se se torquent, dicentes: *in cœna, totum Christum, cum omnibus beneficiis, suis distribui.* Sed hanc phrasin interpretantur, & accipiunt spiritualiter, non alio modo, quam quo res aliqua longissime remota & absens, tradi & donari potest, licet is, cui traditur atque donatur, procul & longissime inde distet atque absit, veluti, si Strimesio, Francofurti ad Oderam viventi & permanenti, casula quædam, aut tuguriolum apud Jeverenses, à quibus longissime abest, tradatur. Pari ratione, magnifica verba faciunt *de merito & beneficiis totius Christi, qui in sacra cœna vescientibus distribuatur.* Sed enim vero, de distributione præsentis corporis & sanguinis Christi in sacro epulo, de quibus est controversia, altum manet apud Reformatos silentium. Et licet scribant, dictent, & magno verborum apparatu promulgent, *nos corpori Christi incorporari;* hæc ipsa tamen hunc in modum interpretantur, non quod Christus carne & sanguine suo nobiscum, & in nobis existat: sed, quia spiritus, qui est in corpore Christi, quod procul & quam longissime à nobis abest, absensque manet, etiam in nostro corpore, veluti templo suo, habitet. Hoc vero est, aliud loqui, & scriptis comprehendere: aliud sentire, & abditis animi recessibus oc-

y

cul-



cultare, verbis testamentariis ludere, & de vera & substantiali corporis Christi præsentia, non aliter paratragoediare, quam qua ratione in eunicho Terentii, amans tium somnia depinguntur, dicente illo: *vide præsens, ut absens fies, item: absens absentem auditque videtque.* Annon vero insignis hæc adversariorum petulantia est, quod vocabulis absentiæ & præsentiæ tam leviter abutantur, totique ecclesiæ, ne quid gravius scribam, imponant, ejusque membra naso suspenso teneant. Nequaquam negamus veram corporis in cœna præsentiam, magnifice gloriatur Samuel Strimesius, insignis ecclæsiae reformatæ promachus, in observationum Henoticarum Hexade, sed ipsam sancte credimus, & quidem non imaginariam, sed verissimam, re alissimam & efficacissimam. Verum, meræ verborum præstigiæ sunt, quibus Viadrinus ille Theologus utitur, verissimam, re alissimam & efficacissimam præsentiam, à se sancte credi simulans. Nam, ejus opinione, *corpus Christi, nec in terra, nec in, cum, & sub pane adest,* sed à benedicto pane sacræ cœnæ, longius distat, quam coeli cœlorum à terraquo globo, id quod ex concionibus suis de *sacra cœna,* patro sermone conscriptis, p. 246. 249. luculentissime patet. Annon vero subdola & detestanda hæc est in Strimesio impostura, aut, ut mollius loquar, calliditatis quoddam mysterium, id verbis præsens affirmare, de quo ipse in epistola irenica p. 166. cum Calvino & Beza profitetur, *corpus & sanguinem Christi à nobis tunc,*

cap.

X



tunc, quando sacra administratur eucharistia, tanto locorum intervallo distare, quanto cælum à terra? Hoc cinc est candide agere, in re tanti mortenti, quæ ad organicum fidei nostræ fundamentum spectat?

§. IV. Nemo, obtestor, credit, solum *Strimesium*, ex hodiernis Reformatis, superesse, qui cum Jeverensis Sacramentariis, similia doceat, eademque inculcat, ac apusiam corporis Christi in cœna, tueatur & defendat. Nam pro isto inveterato errore, tanquam pro aris & focis, etiam alii hodienum pugnant, fortiterque digladiantur. Ubi tamen repetendum illud est, quod de substantiali & corporali præsentia splendide scribant, & sesquipedalia verba projiciant & loquantur: Si vero instemus & quæramus, quid sibi velint ista substantiali & corporali præsentia, tum ita verba conformant sua, ut ad præsentiam spiritualem, quæ fidei est, statim provocent, & relabantur. Sin porro urgeamus, quid præsentia hæc spiritualis involvat, aut in quonam illa consistat, tum vero ejus specificam rationem in mera significatione, & *τημασία* rei absentis, constituent. Nequaquam falsa me scribere, aut surdis narrare fabulam, facile deprehendet, qui nonnissima Calvinianorum scripta vel per transennam respicit. Sed placet illa evolvere, & quid Reformatorum coryphæi scribant, quid sentiant & loquantur, ex propriis eorundem verbis & declarationibus audire. *Sincera & dilucida REFORMATORUM, quod nomine*

corum OMNIUM spondere audeo, de cœna Domini sententia, hæc est, inquit illorum oraculum Strimesius, loco proxime allegato, quod omnes credentes, qui accipiunt, & manducant benedictum panem, accipient & manducent corpus Christi crucifixum. Nam gloriosum, seu glorificatum Christi corpus, uti præfatur, ex sententia CALVINI & REFORMATORUM in cælis est, ibidem sedens ad dexteram Patris, inde redditurus ad judicandum vivos & mortuos; At crucifixum Corpus Christi in eucharistia præsens est. Quem errorem, crassum certe & palpabilem, cum Strimesio, in se defendendum suscipiunt, & summo studio proponunt, hodieque inculcant, apud Ultrajectinos Franciscus Burmannus, lib. 7. cap. II. p. 379. Synops. Theol. & Melchior Leydeckerus, de veritate religionis, lib. 6. cap. 2. p. 616. apud Basileenses Petrus Werenfelius, part. I. explicat. Evangel. pag. 485. apud Hassos Otto Philippus Vietor, in Homil. Evangel. p. 406. qui ad unum omnes corpus Christi, quatenus pro nobis traditum, & sanguinem ejus, quatenus pro nobis effusum fuit, in sacra coena exhiberi, intrepide affirmant, & omni nisu tuentur & defendunt. Sed, ista violentissima textus sacri depravatione, qua relatum quod, non quidditative, sed limitative accipiunt & interpretantur, absentiam corporis & sanguinis Christi in ecclesiam, volantibus vexillis invehunt, adeoque ipsum testamentum Christi, temerario ausu oppugnant. Ubi cunque enim corpus Christi exinanitum

ad-



adest & mortuum, non vero glorificatum, ibi nulla corporis Christi substantia, sed merum corporis accidens adest, & quidem accidens præteritum. Contra, status exaltationis, quem istis sophistificationibus convellunt, & scandalosa quadam metamorphosi, in statum exanitionis transmutant, illud requirit, & jure suo postulat, ut ubicunque nunc sit corpus Christi, ibi glorificatum adsit, non vero exinanitum atque mortuum. Sed non opus est, consecrationes necesse, & magno conamine monstrare, quid, ex periculi plenis Reformatorum hypothesis, prona & idonea illatione, sequatur, quum recentes illi scriptores, Christum infinita distantia, à se remotum & separatum cupiant, verissimam, realissimam & substantialem præsentiam expressis verbis sine circuitione negent, convitiis inpetant, & nescio cuius criminis insimulent, & infenso animo prosequantur. Faciunt hoc in BELGIO *Franciscus Burmannus*, *Synops. Theol.* cap. 13, §. 4. p. 91. & *Fridericus Spanheimius*, *Lugdunensium Doctor*, *elench. contr. pag. 359. 360.* qui orthodoxam, de cœna Domini, doctrinam exagitant, rejiciunt & convellunt, & in illa Christum absentem introducunt, ac ejus corpus sub pane esse posse, aperte inficiantur. Quibus *Salomon van Till*, *Leidensium Theologus*, patrocinatur, cum in compendio *Theologiæ* p. 145. *præsentiam Christi interris, dogma Pseudo-Prophetarum appellat*: à quo non abludit *Johannes Braunius*, non in celebris Gröningensi-

um Professor, qui in *doctrine fæderum, part. 4. cap. 22. §.*
18. 21. sacramenta pro sigillis, non rerum præsentium,
 sed absentium habet, atque Lutheranos, veram & sub-
 stantialem corporis Christi præsentiam docentes, fal-
 fissima docere, audacter calumniatur. In BRITAN-
 NIA, *Gilbertus Burnetus*, Episcopus Salisburiensis,
 Christum non aliter esse, in cœna, quam per unionem
 relativam, propugnat, & Zwinglianorum, sigillatim
 vero Petri Martyris, Martini Buceri, & Johannis à Lasco
 improperiis, de remotione corporis & sanguinis Christi
 ab externis symbolis eucharisticis, subscribit, id quod
 ex *historia Reformationis Anglicanæ*, luculentissime pa-
 ret. In HELVETIA, omnes ecclesiæ reformatæ Do-
 ctores, suis scriptis testatum faciunt, sibi cum Zwinglio,
 Martyre, Bullingero, Gualthero, Simlero, Myconio &
 Hospiniano, veteribus illis apud Helvetios Sacra-
 mentariis, permultum esse commercii. Qui scopus nullo
 negotio deprehenditur, si attendatur, apud Basileen-
 ses *Petrum Werenfelsium*, P. II. Homil. Evangel. p. 690.
 apud Tigurinos *Joh. Henr. Heideggerum*, Tom. 2. Corp.
 Theol. f. 484. apud Genevenses *Benedictum Pictetum*,
 Theol. Christ. pag. 964. negare & pernegare, quod in
 sacra cœna verum corpus, & verus sanguis Domini
 nostri Iesu Christi, vere & substantialiter sint præsentia,
 atque cum pane & vino distribuantur, & ore suman-
 tur, ab omnibus illis, qui hoc sacramento utantur. Id
 quod etiam in Bernensi compendio, ex *Ryssenii*, Tur-
 reti-



retini, aliorumque Reformatorum scriptis compilato,
p. 737. expressis verbis legimus, & observamus. Quid
apud NASSOVIENSES, de coena Domini doceatur,
vel ex solo *Johanne Melchiore*, ecclesiae & scholae Her-
bornensis antistite, colligere licet, quippe qui *Tom. 2.*
Opp. Theol. pag. 161. seq. Lutheranorum doctrinam, de
corporis & sanguinis Christi ad symbola, in ipso usu,
praesentia, sarcasmis & conviciis proscindit, eamque ex
fermento Papistico superstitem errorem nominare,
nequaquam trepidat. In HASSIA, Reformatorum
coetum in doctrina pariter & vita instruunt, ac mode-
rantur *D. Thomas Gauerins*, ac *D. Tilemannus Schenckius*, Professores Marpurgenses, nec non *Otto Philippus Vietor*, Concionator aulicus Cassellanus: Singuli au-
tem ecclesiam nostram pungunt, vellicant, ejusque
doctrinam perstringunt, & verum corpus & sangu-
inem Christi, in, cum & sub pane adesse, plenis buccis
infiantur: iste quidem, in *Theologia Didactica* a. 37.
§. 8. p. 504. ille, in *principiis religionis* pag. 401. hic vero,
in *Homil. Evang.* p. 404. Ex MARCHIA, qui utramque
nobis paginam facit, Strimesius prodeat, cui spiritus
suis hoc suggestit, ut in concionibus suis de sacra coena,
pag. 249. ex verbis angeli *Marc. XVI*, 6. male, quin imo
pessime concluserit: *Corpus Christi non videtur in ter-
ra, non videtur in pane, neque ullo sensu, aut in terra, aut
in pane percipitur, proinde, nec in terra, nec in pane ad-
est:* cui, coronidis loco, *Henricum Hulsius*, apud
DUIS-



DUISBURGENSES Doctorem, subjungo, cuius accusatio, vel detestanda potius calumnia, ut propalam constet, libet ejus verba, ex libro de *vallibus Prophetarum* pag. 72. audire: *Animum scortatorum produnt, calumniatur Hulsius, qui à Luthero se denominarunt Lutherani. Ova habent, ex quibus Basilicus excludi queat.* Scortantur in regimine, in ritibus retentis, in doctrina; At maxime in cena evagantur, praesentiam corporis Christi, magis crude & ample credentes, ac credunt ipsi Pontificii, illud ubique ponendo, & in omni loco. Sed haec accusatio, praeter veritatem Hulsianam, hoc est, Calvinisticam, nihil continet.

§. V. Consideremus vero causam, ob quam Jeverenses Sacramentarii, substantiam corporis Christi in cena pernegasabant. Hæc vero erat, quod fingerent, Christi humanam naturam, post assensionem, in celo esse, non vero in terra: hinc, larga nimis illatione, inferabant, obstare illam, quo minus corpore & sanguine suo, hisce in terris, possit, externis elementis praesens adesse. Non alienum se se ab hoc errore ostendit cum Thoma Gauerio, Theologo Marpurgensi, l.c. Viadrius ille Doctor Strimesius, quando in concionibus de sacra cena pag. 246. hunc in modum argumentatur: *Christus corpore suo ascendit, de terra in celum, proinde corpore suo, non est in terra, neque in, cum, & sub pane in sacra coena.* Nam gloriosum ejus & glorificatum corpus, uti in epistola irenica, pag. 166. theologizat, ex CAL-

VI



VINI & REFORMATORUM sententia, in cœlis est, ibi-
dem sedens ad dexteram Patris. Unde, in homiliis, an-
te citatis, eucharisticis, pag. 60. ita terminos colligit: *si*
in usu sacræ cœnæ, in, cum, & sub pane, substantiale corpus
Christi adest, in terra adhuc existit; Si in terra existit,
non est in cœlo ad dexteram Dei Patris; Si non est in
cœlo, ad dexteram Dei Patris, non potest inde venire, ad
judicandum vivos & mortuos. Quum tamen Christus,
ut tyrones probe norunt, in cœlos ascendens, confe-
derit ad dexteram Dei, quæ non est certus aliquis in
cœlo locus, quo circumscribatur & contineatur, sed
ipsa infinita Dei virtus, & majestatis divinæ gloria,
quæ, cum nulli loco insit, nuspian tamen excludi-
tur, sed cœlum & terram implet, *Ephes. IV, 10.* Non
igitur cœlum, sed sessio ad dexteram Dei Patris, con-
stitui debet terminus ultimus ascensionis hujus. Quæ
sessio, cum citra omnem hujus, vel alterius loci respe-
ctum & intuitum, universale illud, cœli terræque im-
perium, Christo homini assignaverit, *i. Cor. XV, 25.* Stri-
mesianum certe, hoc est, absurdum absurdorum ab-
surdissimum fuerit, velie sessionem hanc illocalem,
ad certum cœli locum restringere, & unius loci spatio
terminare. Hæc responsio, perspicua, vera, certa, fir-
ma & solida est, ut non videain, qua conscientia, sub
prætextu ascensionis Christi in cœlum, præsentiam e-
jus in coena Strimesius possit improbare & repudiare.
Peregredia certe sunt, & pulchrum quid sonant, quæ

Alardus Vaekius, Doctor Theologus, & Superintendens Jeverensis, de controversia hac sacramentaria annotavit: *Nullum*, inquit, in eleganti libro, de uniendis Christianorum animis in fide illibata, pag. 495. est scripturæ testimonium, nullus fidei Christianæ articulus, quo revera impugnetur præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. Non facit articulus de Domini ascensione; nam suppositum, quod dixit: *ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*, Job. 20. Idem quoque dixit: *ubi sunt duo, vel tres congregati, in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Matth. 16. De quo dixit Petrus: *quem oportet cælum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium*, Act. 3. is de se eodem dixit: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*. *Magnum est hoc, quod ascendit super omnes cælos, & proximus est eis, qui adhuc versamur in terris*. Hæc vero non sunt contradicentia: *Nam regnans in coelo, non carcere attinetur in coelo, adeoque præsentia ejus in coelo non derogat præsentiae eiusdem in Eucharistia, ut qui locis est eminentior, & eadem habet in manu sua*. Si quilibet Sanctorum, ad tantam gloriam peruenturus est, ut, ubicunque volet suus Spiritus, continuo sit & corpus, quis virtutem istam admirare ausit Christo, Deo & homini? Nonne Saulo, Damascum proficiens, adfuit in via? Nonne per visionem apparuit Ananiæ, discipulo suo Damasco? Nonne sedens ad dextram patris adest suo populo, militanti in terris?

Re-



Respondeat ad ista Strimesius, aut, si potest, redarguat & confutet, si Christianus, si non in pejus reformatus audire velit.

§. VI. Jeverenses Dypnosophistæ, verbis Christi testamentariis alienum sensum affingebant, eaque simpliciter, secundum literam, & propriam significacionem, accipienda esse, pernegabant; contra, clarissima institutionis verba, verbis obscuris & figurativis, veluti fidiculis, in alienam, & cum ^{præter} pugnantem significacionem detorquebant, quo ipso promissionem Servatoris, de præsentia corporis & sanguinis sui, in verbis eucharisticis expressam, vel plane tollebant, vel certe evacuabant. Hunc vero errorem, inveteratum plane & antiquum, jure hodienum tribui *Ryssenio*, *Turretino*, aliisque novellis Reformatorum scriptoribus, ex allegato compendio Bernensi, p. 734. ad oculum dispalescit. Illud certe verisimile non est, Christum, morti jam vicinum, data opera, ejusmodi obscuro dictio[n]is genere, & quidem in definiendo mysterio, salutem ecclesiæ vel maxime concernente, uti voluisse, ut vix divinando assequi licuisset, quæ propria & genuina verborum Testatoris esset mens atque sententia. Nihilosecius *Nicolaus Gurtlerus*, Daventriensium Professor, in Dialogis suis eucharisticis p. 30. verba coenæ inter emblematicas, & hieroglyphicas orientis doctrinas, non sine ingenti scandalo, refert, totamque adeo doctrinam testamentariam, Anti-Scripturariis deridendam propi-

nat. Etenim, si Servator circa novum hoc, & universæ ecclesiæ ignotum Sacramentum, dictionis genere emblematico & hieroglyphico usus fuisset: certe ignorantis & erroris copiam, vel segetem potius uberrimam plurimarum in ecclesia dissensionum ipse met posuisset. Quod absit, ut de Christo statuamus, aut saltem cogitemus. Ceterum, plura, atque alia loca, ex quibus istius erroris de tropologia Sacramentali, hodierni Reformati convinci possunt, passim occurunt. Nam *Johannes Placette*, cœtis Reformati, apud Haffnienses, Doctor, in tractatu *de cœna Domini*, cap. 10. pag. 544. ad figuras & metaphoras, veluti ad sacram quandam anchoram, confugit, & *Fridericus Spanheimus*, libro, à nobis citato, pag. 307. à Reformatis negari, affirmat, quod verba institutionis eucharisticae, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, proprie & literaliter, *καὶ τὸ πνεῦμα* sint intelligenda, neque concedit, sensum verborum esse istum, *hoc, quod vobis do, est, vere & substantialiter corpus meum, naturale illud, quod pro vobis traditur*, sed sensum metonymicum fingit, quo scilicet rerum signatarum nomina, puta corpus & sanguis, signis ipsis & sigillis, sanguini & vino tribuuntur. Quo errore etiam infecta est *Fr. Burmanni Synopsis Theologiae*, quando cap. 14. §. 19. 22. voculam est, de qua præcipue contenditur, non de esse substantivo, sed de esse significativo, intelligendam inculcat, & locutionem hanc, pro metonymica habendam statuit, per quam

fi-



Signum substituatur pro re signata, quanquam & alio respectu, metaphoram & synecdochen adesse, scribat & propugnet. Nihilo sanius sentit *Johannes Braunius*, Christi locutionem, *hoc est corpus meum*, impro priam esse, signumque sumi pro re signata, loc. cit. §. 23. fingens, ita, ut sensus sit, hic panis significat corpus meum. Taceo alios, qui se ad verba institutionis adstrictos teneri nolunt, sed ea, cum ceteris Sacramentariis, in alienum, & ab illis abhorrentem sensum, nefarie detorquent.

§. VII. Affinis huic errori est, & ex priori sponte fluit, sequens error, quo Jeverenses Anti-Lutherani docebant, & omni studio incrustabant: virtutem, operationem, & meritum, longe absentis corporis Christi, non nisi fide, communicari, & per fidem, spiritualiter duntaxat, corpus & sanguinem Christi accipi. Neque ita Jeverenses solummodo docuerunt, sed ipsum iisdem fere verbis, hodienum repetit, *Otto Philippus Vies tor*, l. c. pag. 402. & *Melchior Leydeckerus*, quando l. c. lib. 6. cap. 2. §. 48. 49. præsentiam sacramentalēm, per corporis & sanguinis Christi efficaciam, & manducationem symbolicam, explicat, *qua sita fit in fiduciali acceptione & receptione Christi, ut oblati & dati, quasi in manu Dei, per fidem, in spirituali meditatione, & memoria mortis Christi, in applicatione reflexiva fidei, qua Christus quasi intime in animam demittatur, & cum ea uniatur.* Similia in scenam producit *Johannes Braunius*, loc. cit.

cap. 22. §. 17. confidenter admodum asserens, totam mandationem corporis Christi esse spiritualem, ac fieri per fidem, ut eam recipiamus mente, non corpore; fide, non ore. Accedit consensus Thomae Gauterii, qui l. c. inter alia scribit, *corpus Christi, quod ascendit in caelos, non esse his in terris, in Eucaristia, praesentia reali, & proprie dicta, sed tantum mystica & spirituali.*

§. VIII. Porro, Jeverenses Sacramentarios, veluti Duces suos, & antesignanos, adhuc sequuntur, quotquot ex Reformatis, iisdemque recentioribus, sacramentalem mandationem rejiciunt, & insecentur, & Capernaiticam quandam corporis Christi laniganam, & physicam sanguinis ingurgitationem, nostris ecclesiis affricant. Pertinet huc imprimis, *D. Johannes Zwingerus, Theologus Basileensis, qui in libro, de festo corporis Christi, pag. 308. non tantum negat, carnem Christi ullo modo ore comedti, sed & oralem corporis & sanguinis Christi mandationem & bibitionem, Capernaismo pejorem esse deblaterat, & Christianos, similes reddere Poliphemo illi Homericō, ac magis infames Scythis, & Scotis Hybernicis, Anthropophagis Sarmatis, Concanis & Charibibus apud Indos, qui carnibus hominum vescuntur, impio, & blasphemō ore, eructat: cui dum Strimesius supparasitatur, nostram doctrinam eucharisticam, ceu ἀνθεωποφεγγίαν, & αιματοστοιαν, Deo hominique abominabilem, in disputatione de coena p. 173. exagitans, impieque & profane traducens,*

ta-



talia certe scripsit & effutivit subdolæ unionis architectus, quæ nullo stylo anserino, sed pilo tartareo vindicanda judicantur. Sed mittamus hominem, ad serendas calumnias, & morosam ecclesiæ nostræ infestationem prognatum, atque hinc, clarissimi, nobisque amicissimi Wittebergenſum Theologi D. Wernsdorffii, judicio, alendo potius, quam componendo diffidio aptiorem. Nominatissimum Genevensiū Doctorem, Benedictum Picletum allegabo. Hic l.c. pag. 969. cum Strimesio easdem tibias inflat, & oralem manducationem impossibilem esse perhibet ac inutilem fingit, imo Theod. Zwingerus, calumniis nos onerat, quod manducationem istam fieri, non crasso, & capernaitico modo, summaq; ab iis, nos affici injurya vociferaremur, qui nos Capernatas σανα-φάγε Thyestas appellarent: dicant ergo, inquit, Syntagm. sel. exercit. pag. 179. quænam sit tandem & qualis illa manducatio? vocant manducationem corporalem & oralem, & religiosius, oralem sacramentalem, quæ quidem fiat corpore & ore, sed non corporali & orali, ast invisibili, incomprehensibili, ineffabili, supernaturali, spirituali & prorsus miraculoſo modo. Quis vero non videt, concludit Zwingerus, hos esse puros putos cothurnos. Atque hinc est, quod D. Johannes Simonis, Professor Francofurtanus, in programmate Anti-Albertino, Reformatos à Lutherana ecclesia, in omnem æternitatem, sejunctos permanere cupiat, quam ut manducationem sacramentalem, quæ oralis est, nobiscum defendant actueantur.

S. IX.



§. IX. Huc etiam pertinet universa disputatio Apusistarum Jeverensium, quam, ore & calamo, aduersus manductionem indignorum, magno conatu, & improbo labore, moverunt, hodieque, in recentissimis ecclesiæ suæ scriptoribus, movent. Etenim *Franciscus Burmannus*, l.c. cap. 12. pag. 389. expressis verbis affirmat, infideles nuda signa accipere, & *Melchior Leydeckerus*, apostolicam illam doctrinam, corporis Christi participes fieri omnes, qui panem manducent, adeoque etiam indignos & infideles, absurdum nominat, mordacissimeque traducit. Omitto Strimesium, qui propter hanc materiam, gravissimos errores nobis tribuit, qui si admittantur, totam eucharistiam è medio tollere, & efficacia sua spoliare queant. Omitto quoque alios, qui eadem scribunt, dictitant, promulgant, loquuntur, & propugnant.

§. X. Et hactenus quidem, ex recentissimis Reformatorum Promachis, & Dogmatistarum scriptis, satis superque ostensum est, quod in majorum suorum erroribus adhuc persistant, atque nullam actualem, veram, realem & substantialem corporis & sanguinis Christi in coena præsentiam, corde, juxta & ore, statuant & credant, aut aliis credendam præscribant, sed famosam illam apusiam, absque circuitione, fateantur, mordicusque defendant. Nihil hic confinxii, nulli per injuriam aliquid adscripti, sed fontes consului, & ex iis omnia munivi, & conceptis clarissimisque verbis & testi-



testimoniiis corroboravi, atque illud, ut spero, evici, fru-
straneum plane & inanem esse Strimesii, aliorumque
Reformatorum laborem, in commonstranda illorum,
cum nostra ecclesia, quoad substantiam corporis &
sangvinis Christi in sacra synaxi præsentiam, harmonia
& consensu. Constat enim, mala omnino conscienc-
tia, causam illos suā agere, dum nostris phrasibus usi, in-
terim falsas illis & erroneas suas opiniones affingunt.
Hæc dudum observavit eruditissimus Jeverenius
Theologus *D. Alardus Vaekius*, quapropter l. c. hunc
in modum commentatur: *Quoties Johannes Calvinus,*
&, qui illum sequuntur magistrum, REFORMATI, tradunt,
Christum ab Eucharistia non excludi, sed integrum Deum
aque hominem à piis sumi, toties similia loquuntur cum
orthodoxis, at dissimilia sentiunt. Nam non nativum Chri-
sti hominis corpus intelligunt, id enim cælo collocantes, loco
uno contineri putant, prætextu verborum Petri, dicentis:
quem oportet cælo capi usque ad tempora restitutionis o-
mniū, Act. 3. sed corporis & sangvinis istius virtutem,
beneficia & communionem fide obtineri, & ex carne Chri-
sti, per Spiritum ejus, in credentes derivari. Desine er-
go, Strimesi, consensu tuo gloriari, & os ponere adver-
sus veritatem, & ultimum Salvatoris nostri testamen-
tum, horrenda impietate, cavillari: denique illud Au-
gustini, contra Cresconium, probe considera, & expen-
de: Sicut laudabile est, à vera sententia non amoveri, ita
culpabile est, persistere in falsa, quam nunquam tenere,

aa

pri-



prima laus est; secunda, mutare, ut aut ex initio vera permaneat, aut, mutata falsa, vera succedat.

§. XI. Quæ cum ita comparata sint, mirari satis nequeo, qui fiat, quod Jo. Josephus Wincklerus, Inspector & Canonicus Magdeburgensis, jactitet, & Reformatorum gratiam aucupaturus, in *detectione cordis sui* §. 3. p. 6. scribat, *hodiernos Reformatos in universum, realem, veram & essentialem manductionem corporis Christi in cœna, credere & confiteri.* Affirmari, temerarium hoc asse tum à Wincklero, canonica quadam autoritate, non sufficit. Comprobare illud clarissimis testimoniiis, & producere Reformatorum verba, & canonicas confessiones, eidem incumbit. Neque vero satis est, tantummodo grandia illorum verba afferre, & magnificas sententias, ingenti numero, allegare, sed & perpendendum accurate, quid sub involucris verborum intendant, & quemā sensum splendidis suis phrasibus occultent. Noti enim sunt omnibus cothurni, in quibus de reali & substanciali præsentia corporis Christi in cœna, amplissime rhetoricanter, nec ipsi, nisi vehementer fallor, Wincklero, ignotæ erunt insidiosæ, & ambidextræ eorum phrases & locutiones, quæ certe tales sunt, ut jurare quis ausit, esse eas Lutheranas, nec à sensu, & interpretatione ecclesiæ nostræ, alienas. Sed enim vero, si illas probe examinet Wincklerus, & operculum à testa dimoveat, ex iis plus non exterebrare potest, quam spiritualem manductionem & bibitionem.



nem. Hæc vero, uti constat, à Reformatis, sacramentali ita opponitur, ut satis appareat, sacramentalem, quæ oralis est, ab iis penitus negari. Neque ullum, quod spondeo, ex Reformatis Dogmatistis, Wincklerus allegabit, qui os humanum, ut fieri par est, pro requisito instrumento, & medio habet, quo corpus Christi vescen-
tibus exhibeatur. Strimesium si conveniat, & ex fidissi-
mo hoc suo Achate, sciscitetur & quærat, quid per ve-
rum corpus in sacra synaxi, ejusdemque realem man-
ductionem, intelligat, is, omnium nomine, propalam re-
spondebit, nostram doctrinam, ob manductionem sacra-
mentalem, αὐθεωποφαγίαν ὡραίματοποσίαν esse, Deo, hominibus-
que abominabilem; contra, sinceram banc, & dilucidam
Reformatorum de cœna Domini sententiam esse, quod cor-
pus Christi, non sit in eucharistia, sed in cælis. Num ve-
ro talis, veram & realem manductionem corporis
Christi credit & confiteatur, qui veram & realem cor-
poris Christi in cœna præsentiam negat & impugnat,
& Christi Servatoris corpus, superiori cœlo, tanquam
ergastulo, includit, non tam VV incklero, quam sapien-
tioribus, & Lutheranæ pietatis Viris, judicandum relin-
quo. Interim, pro vero, ut auguror, Wincklerus agno-
scet, nullam esse manductionem sacramentalem ve-
ram, quin eadem sit oralis, cum Christus cœnam insti-
tuendo, non solum panem & vinum, sed etiam, cum
pane & vino, corpus & sanguinem jussit sumere. At
enim vero, omnes Reformati, iisque hodierni, & recen-

tiores, sacramentalem manducandi modum, vero & reali modo opponunt, neque aliam, nisi relativam & intentionalem, panem inter & corpus, vinum inter & sanguinem, unionem credunt & propugnant, adeoque illam, quæ per fidem est, manducationem & bibitionem tantummodo confitentur & admittunt. Talia vero qui tradunt, aliisque tradenda præscribunt & inculcant, nullam veram & realem manducationem, uti quidem VV incklerus gloriatur, assensu suo prosequuntur, sed totam eucharistiam pertinaciter oppugnant, subruunt & evertunt, &c, in nescio quod vulgare, & cottidianum epulum, transmutant. Quam ob rem Winckleri est, si & pie eruditus, & eruditus pius, adeoque nostræ doctrinæ, per Lutherum reformatæ, per strenuus assertor, & esse, & videri velit, ut reformatorum lingvam intelligere probe discat: contra, illis adulari, & controversias sacramentarias, earumque Promachos emollire, & exculpare, & hostibus religionis nostræ, inepta lenitate, & facilitate, cedere, & illorum molitiones fallissimis elogiis efferre & ornare, dediscat, & Apostolo monente, accurate & circumspecte ambulet, non ut insipiens, sed ut sapiens: insuper, ut ambiguas Adversariorum locutiones, quibus subdolæ unioni subsidium parant, bene & sapienter consideret atque perpendat, nec ab iis se circumveniri patiatur, sed diligenter pensitet, quæ in solida, & nunquam satis de prædicata declaratione formulæ concordiæ p. 490. ad-



ducuntur: Eisi Sacramentarii quidam, in eo elaborant, ut quam proxime, verbis ad Augustanam Confessionem accedant, & nostrarum ecclesiasticae formas loquendi usurpent, ac fateantur, quod in cœna Domini corpus Christi vere à fidelibus accipiatur: attamen, quando serio urguntur, ut sententiam suam ingenue, aperte, & perspicue, profiteantur; uno ore omnes animum suum declarant, quod credant, verum & substantiale Christi corpus, ejusque sanguinem, à benedicto pane & vino, in cœna sacra tanto locorum intervallo abesse, quanto summum cœlum ab infima terra distet. Quare, cum de praesentia corporis & sanguinis Christi in cœna loquuntur, non volunt ea in terris adesse, nisi respectu fidei nostre, hoc est, fidem nostram dicunt per visibilia Symbola, perinde, ut per verbum, prædicatum commonefici & excitari, ut se se attollat, atque omnes cœlos transcendat, & hoc modo praesens in cœlo corpus Christi, ejusque sanguinem, imo ipsum Christum cum omnibus beneficiis suis, vere & substantialiter, sed tamen spiritualiter tantum, sumat, eoque fruatur. Sentiant enim, uti panis & vinum hic sunt in terris, & non in cœlo, ita corpus Christi jam in cœlis esse, & non in terra, quare in cœna Domini nil illud aliud ore sumi, quam panem & vinum. Spiritualem tantum praesentiam credunt, hoc est, quod corpus tantum virtutis operationis & beneficiorum suorum per fidem nos participes faciat. Quare splendidis & magnificis verbis illis, multis, magnis & præclaris viris imposuerunt, quando nimis affirmarunt, atque jactitarunt, se plane nihil aliud sentire, quam, quod Dominus Iesus Christus vere, substantialiter, vivus, in sacra sua cœna praesens sit. Hoc autem intelligunt ipsi tantum de ipsis divina natura, non autem de ipsis carne & sanguine: de his enim sentiant, ea tantum in cœlis, & præterea nullibi esse. Ex quibus patet, Reformatos substantialem Christi à sacra cœna absentiam statuere, & praesentiam inficiari, quo cunque tandem minio & fuso errorem suum incrustent atque pingant.

§. XII. Hisce vero contraria, dum tradit Wincklerus, atque controversias Sacramentarias non tantum extenuat, sed, vanissimo etiam conciliationis conatu, consensum quendam, Lutherum inter-

& Calvinum, singat, & hodiernos Reformatos, ab antiquis suorum erroribus discessisse, inculcat, manifestum est, eum fraternitatis dextram Reformatis porrecturum cum tripudio. Absit autem, & in æternum absit, ut eos pro fratribus Christi agnoscamus, & in societatem ecclesiasticam suscipiamus, qui, cum Sacramentariis Je-verensibus, in erroribus suis tam obfirmati sunt, ut eos retineant, nemini cedant, aut veritati locum relinquant, nec inconsiderate dicta retractent, sed verba Christi testamentaria in paganas Orientis doctrinas profane commutent, interpretationes divinas turpi-ter convellant, & Salvatoris promissionem, de substanciali præsen-tia, vel plane negent, vel certe evacuent, & rem cœlestem submo-veant, & sacramentalem manductionem insestentur & rejicant, & proinde totum articulum eucharisticum subruant & evertant, ac fundamentum fidei nostræ oppugnant. Evidem, & nos pacem volumus, & non solum volumus, sed & rogamus, scribimus, & in au-la, & ecclesia Servestana cottidie prædicamus; sed pacem Christi, pa-cem veram, pacem veritati sociatam, pacem sine inimicitiis, pacem in qua bellum non sit involutum, denique eam pacem, quæ cum veritate doctrinæ cœlestis sit conjuncta, expetimus, maximeque de-sideramus. De tali autem pace ineunda, frustra laborant Reformati, frustraq; omne studium suscipiunt, & Henotica sua consilia miscent, quam diu, in veterum se volvunt revolvuntq; erroribus, & Dordra-cenorum placitis patrocinant & assurgunt, eamque Théologiam, aleatoream certe, profitentur & exercent, quæ verbis ambiguis, ob-scuris & flexiloquis, & cuiuscunque menti attemperatis, controver-sias inflectunt, variant & corrumptunt. Hoc enim est, ore & penna pacem ingeminare, corde autem simultates & odia, & alia multo tri-stiora meditari, una manu caduceum ostentare: altera, gladium vibrare. Quamobrem melius est & optabilius, pro veritate ege-gium atque sacrum bellum, pace impia, &, à DEO distrahente, con-sociatione. Hinc bene & sapienter divus Lutherus monet, in cap. V. Epist. ad Galat. v. 6. *Maledicta sit pax & charitas, que servatur*

cum



cum iactura doctrinae fidei, cui omnia cedere debent, charitas, *Apostolus*, Angelus ē cælo, & quicquid fuerit. Idem Megalandèr, quoque alibi ad omnes, quæ hodie circumferri solent, Irenicorum, & Henoticorum exceptiones, ordine & decenter respondet: *Sacramentarii*, ait, inferunt, nos debere per patientiam aliquid condonare lapsis fratribus, & illorum errorem dissimulare per charitatem, quæ omnia credit, omnia sperat, omnia tolerat: non tanti momenti esse rem, ut, propter bunc unum, articulum dissuamus concordiam Christianam. Sic suaves homines se & suam causam ornant, & nos invidia apud multos gravant. Summa erat de omnibus articulis Christianæ doctrinae concordia, que duravit, donec prodirent sectarii cum suis opinionibus novis, non solum de Sacramentis, sed etiam aliis articulis. Sed facile possemus illius injuriae oblivisci, & eos suscipere, & Spiritu mansuetudinis instaurare, si modo redirent in viam, & recto ordine nobiscum incederent, hoc est, si pie de cœna Domini, & aliis Christianæ doctrinae articulis sentirent & docerent. Quod autem solum amplificant charitatem & concordiam, & causam Sacramenti extenuant, quasi levis momenti res sit, quomodounque de Eucaristia, à Christo Domino nostro instituta, sentiamus, hoc nobis non est ferendum. Sed, quantum ipsi concordiam vitæ prædicaverint, tam nos prædicare debemus concordiam doctrinae & fidei. Quam si nobis integrum relinquunt, tum amplificabimus cum ipsis etiam charitatis concordiam, quæ longe postponenda est Concordiae fidei, seu spiritus. Nam, si banc amiseris, Christum amisisti, illo amissi, nihil tibi proderit charitas. Contra, si unitatem Spiritus & Christum retines, nihil obest, si dissentias ab his, qui verbum corrumpunt, atque per hoc, unitatem Spiritus corrumpunt. Malo igitur ipsos cum toto mundo à me discedere, & mibi inimicos esse, quam ut ego à Christo discedam, & eum habeam inimicum. Id quod fieret, si, relicto ipsis simplici & manifesto verbo, vanis illorum somniis, quibus Christi verba ad suam sententiam detorquent, adbererem. Nec nos finimus extenuari causam hanc, quia is, cuius causa est, magnus est. Itaque non patiemur in ullo articulo verbum ejus ladi. In articulis fidei, nihil parum aut tenue nobis videri debet, quod remittere possumus



mus, aut debeamus. Remissio enim peccatorum, pertinet ad infirmos in fide & moribus, qui agnoscunt peccatum, & veniam petunt, non vero ad eversores doctrine, qui non agnoscunt suum errorem & peccatum, sed hostiliter defendunt, ea veritatem & justitiam esse. Hactenus magnus Lutherus, qui utramque virtutem, charitatem & veritatem, magis tamen hanc, quam illam commendat, & si utraque obtineri nequeat, sed alterutram missam facere oporteat, charitatem potius negligendam, & susque deque habendam esse svadet & inculcat, ut veritas retineatur. Hæc enim unicum pacis, & charitatis, quinimo omnis concordia vinculum est, ab ea qui discedit, violat, turbatque unitatem, extra quam nonnisi sacrilega conspiratio est. Quare, pacem ita diligamus, ne veritatem prodamus, aut negligamus, sed pro ea strenue decertemus, hancque colamus, promoteamus, sartam rectamque retineamus, Dominumque rogemus, ut fideles operarios in messem suam emittat, qui causam Dei & pietatis, contra omnes veritatis hostes idoneis modis sustineant, tueantur, & defendant: nec fastidiamus doctrinam cœlestem, neque prurientibus auribus coarcervemus nobis Magistros, nec auditum à veritate avertamus, & ad fabulas convertamur: nec Sectariorum & errorum hypocrisi, aut pietatis prætextū, & flexiloquis locutionibus decipi nos sinamus: sed, pio & ardenti zelo, magno cum salutis nostræ desiderio, verbū Dei, tanquam lumen, humiliter sequamur.

Sic nos Dominus in vera sui agnitione ad vitam æternam conservabit.



ACTA

A C T A
C O L L O Q U I I
J E V E R E N S I S;

C U M A N O N Y M I A N N O T A T I O N I B U S M S.

N U N C P R I M U M E D I T A

A

J O . H E N R I C O F E U S T K I N G I O , D .



ATSA
THODDLOD
TOMISRA





I. N. J.

INTROITUS COLLOQUII JEVERENSIS.



Ancellarius JOHANNES ab HALLE, Doctor Jurisprudentiae, * singulis Pastoribus prolixo proposuit, cur, ante semestre spatium, offerri curasset ipsis ORDINATIONEM ECCLESIASTICAM, à multis & Universitatibus, & Doctoribus Theologis, per ditiones Electorum & Principum in Saxonia, & alibi existentibus, approbatam: *inlytus & clementissimus COMES*, & ipsius Celsitudinem, ait, nunc quidem rursum in eum finem tandem ablegasse, & huc mississe OLDENBURGICOS suos CONSILIARIOS, & SUPERINTENDENTEM, ** ut singuli se declararent coram ipsis, quid habeant, quod in ea desiderent, aut, ut singuli sua subscriptione eam comprobent, & in ecclesiis servandam promittant, quo unitas doctrinae pie conservetur, &c. Ibi quidem, onines fere, exceptis admodum paucis, cum quidam eorum in nonnullis propositis dubiis instructi essent à Superintenden- te, subscripserunt huic ordinationi, interim, sic actum est, ut sequitur, cum quibusdam.

A 2

Jo-

* *Hic ob doctrinam, & agendi peritiam valde dilectus erat Comiti nostro, er war sein Schössling, und hatte Zähne, dass er um sich beißen könnte. Und hat Quantius solches gnug erfahren, den er braf eingetrieben. MS.*

** *Hermannum Hamelmannum, Licentiatum, magne lectionis virum, der viel Bücher geschrieben. Miratus sape sum Domini Licentiati vultum, qui divi- num quid ostentabat. MS.*



'JOHANNES HENRICUS JAPETUS * ita: *librum ordinationis quidem in omnibus approbo, tantum duo me movent, in quibus me erudiri peto, unum de EXORCISMO, alterum de SACRAMENTO ALTARIS.*

HERMANNUS HAMELMANNUS, Licentiatus Theologiae, & Superattendens, respondet: libere proponas, in quibus instrui petis.

Ideo sic JAPETVS incepit. *Multi reprehendunt Exorcismum, adfrentes quedam ex Scripturis, que omitto, & sic dico: usitatus quidem Patribus est Exorcismus, non tamen Apostolis.*

HAMELMANNUS: Si est Scripturis conformis, cur non & Apostolis? Quia hunc probat Augustinus ex *Luc. cap. 11*. Ubi expresse legitur, Revertar in domum meam, unde egressus sum, &c. ex eo concluditur, nos domicilia Satanæ esse, ideo non potuit Apostolis improbari. At, multa utiliter sunt juxta Scripturam, & ex Scriptura addita postea, quæ tempore Apostolorum non fuere, ut docere in templis, & alia.

JAPETUS. *Illæ tantum de demoniaco dicuntur.*

HAMELMANNUS. Egressus ab homine dicitur in genere Satan: Atque ibi non additur, ab hoc homine. Et quia apud Deum non est respectus personarum. Ergo hoc non magis de uno, quam de omnibus potest dici.

JAPETUS. *Ostende mihi Patrum locos.*

HAMELMANNUS. Augustinus de *Ecclesiast. dogmat. cap. 31*, ait, illud quoque circa baptizandos in universo mundo, sancta Ecclesia uniformiter agit, ut sive parvuli, sive juvenes veniunt ad regenerationis Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorcismis & sufflationibus spiritus immundus ab eis abigatur, ut tum vere appareat, quomodo princeps hujus mundi, mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vaſa ejus diripiantur, in possessionem translata autoris, qui captivam duxit captitatem, & dona dedit

ho-

* Das war ein Prediger des Karspels zu Schortenseh, bey Jeverischer Herlichkeit. *Dissertus erat, & egregie concionabatur. Domino Licentiato tamen non potuit resistere. MS.*



hominibus, &c. Talia & similia habent Optatus Milevitanus, Georgius Nazianzenus, & alii.

Hic tacuit Japetus: *

DE SACRAMENTO ALTARIS SIC PERGIT JAPETUS.

Si sunt in sua significatione retinenda verba in Cœna, adferunt transubstantiationem panis & vini, aut necesse est, ut Est, explicetur per significat.

HAMELMANNUS. Est singularis & sacramentalis propositio, quæ exemplo declaratur, verbum caro factum est.

JAPETUS. Ibi est copula personalis utriusque naturæ. Ergo & hic?

HAMELMANNUS. Non, nam modum præsentiae corporis & sanguinis Christi, novem Patres, ut, *Justinus, Cyprianus, Theodoreus, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Leo, Gelasius, & Euthymius*, exemplo copulationis duarum in Christo naturarum declarant, ac docent, non minus mutari in Cœna substantiam panis & vini, quam simul adesse & vere exhiberi, tum panem & vinum, tum quoque corpus & sanguinem Christi, hoc est, duas esse res, teste *Ireneo* in Eucharistia, lib. 4. cap. 33. hoc est, terrestrem & cœlestem, sicut in Christo duas naturæ divina & humana simul unitæ sunt. Neque tamen hæc collatio propterea adhibetur à Patribus, quasi inde sit statuenda personalis & indissolubilis quædam unio, quæ in Sacramento non est, sed ad utriusque substantia in Sacramento, veram & non figuratam, vel symbolicam præsentiam demonstrandam. Ideo *Justinus, & alii*, propositionem, *Verbum caro factum est*, conferunt cum verbis Cœnæ, hoc est corpus meum, eatenus, ut ostendant, rite congruere similitudinem, quia utrobique duas naturæ integræ & non mutatae, simul conjunctæ esse credantur, in persona Christi indissolubiles & perpetuae: In Cœna DOMINI vero tantum in usu, cum videlicet accipitur, editur & bibitur.

A 3

JA-

* Hac in exemplari Wigandiano non habentur, in MS. nibilominus leguntur.



JAPETUS. *Unio sacramentalis non est realis.*

HAMELMANNUS. Verum est, respectu unionis personalis in Christo, interim Sacramentum duo continet, ut ait Iraneus, lib. 4. cap. 33. panis, qui à terra est, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia est, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti, videlicet, pane & corpore Christi. Et lib. 5. Quando mixtus calix & fructus panis, percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & Corporis Christi, &c.

JAPETUS. *Diversa uniri non possunt.*

HAMELMANNUS. Diversissima sunt creatura & creator, homo & Deus, & tamen unitæ sunt diversissimæ naturæ in una persona Christi ineffabiliter. *

JAPETUS. *Si est Sacramentum, Ergo non est corpus Christi.*

HAMELMANNUS. Dixi ex Iraneo, Sacramentum constare ex duabus rebus, &c., ut Augustinus ait, *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, & sic verbum institutionis ex præcepto Christi accedit ad panem affert hoc in suo usu, de quo Christus dixit & præcepit. Jam dixit de pane, accipite & comedite, hoc est corpus meum: Ergo, &c.*

JAPETUS. *Ergo hoc quoque adfert, et si corporis participes sumus, tamen non sequitur, nos hoc ore sumere debere.*

HAMELMANNUS. Dicit: *Accipite, edite, hoc est corpus meum,* dicit enim de externo esu, & addit, quid sit edendum: ideo, cum esus externus non aliter fiat, quam ore, necesse est, ut ita & nos credamus, quod etiam multi patres sic confirmant, ut Augustinus, Chrysostomus, Leo, Gregorius, Theodoreetus, Oecumenius, Bernhardus, atque alii, dicentes, nos vere percipere corpus Christi: et si non intelligamus, quomodo fiat, tamen volumus Christo honorem deferre, ut, cum ille ita in Evangelistis, & per Paulum locutus sit apertis verbis, idque in ultimo

* *Diversissima etiam sunt, respondebat Cancellarius, homo & S. S. Trinitas, & tamen diversissima haec uniuntur vere & realiter, ut Pater, Filius & Spiritus S. in nobis habitent. Ist das nicht wahr, Herr Japetus? MS.*



timo testamento, hoc non negemus, sed ei habeamus fidem. Hinc ait Chrysost. *Homil. 83. super 26. cap. Matth. Tomo 2.* Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiam si sensu & cogitationi nostræ absurdum videatur, non alia solummodo aspicientes, quæ ante nos jacent, sed verba quoque ejus tenentes. Nam verbis ejus defraudari non possumus: sensus vero noster deceptu facilimus est: illa falsa esse non possunt, hic sapienter atque sapienter fallitur. Quoniam ergo ille dixit, hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus. Item Cyrillus *super 6. cap. Job.* Nos nunquam in sublimibus rebus & in mysteriis, quomodo aut cogitemus, aut proferamus, sed mysteriis firmam fidem adhibeamus, &c. quod exemplis probat.

JAPETUS. *Sed si est corpus, corpus etiam habet suas dimensiones, ideo necesse est, ut Christi corpus tantum in uno loco sit.* *

HAMELMANNUS. Hoc quidem intelligimus de corporibus hujus mundi, sed ipse Aristoteles corpora cœlestia, quæ extra hunc mundum sunt, eximit à loco, sic & nostra corpora in æterna vita non erunt ponderosa, aut tarda, & ita loco subjecta, ut *Augustinus* & alii Patres censem: Imo coelum & terra, & omnia quæ sunt in eis, peribunt, ideo & hujus opificii perituri locus. Deinde Aristoteles non facit *proprium* creaturæ, esse in loco, sed potius videtur hoc referre inter *accidentia*. Jam quidem longe alia est ratio Christi corporis, quod est assumptum à Deo in unionem personæ, quod est exaltatum ad dexteram virtutis Dei, teste Scriptura, quod etiam Scriptura dicit, exaltatum ultra omnes cœlos, cœlis altius factum, etiam, ipsi Mariæ Filio, data est non solum omnis potestas in cœlo & in terra, sed etiam nomen super omnia nomina, ut omne genu cœlestium & terrestrium & infernalium flectantur ad hoc nomen. Hoc non sit titulotenus, sed revera, & in veritate.

JAPETUS. *Hoc est mysterium spiritus, & carnis.*

HA-

* Non potuit ad hoc argumentum tacere Tilingius, ideoque, divino quodam zelo accensus, in hac verba erumperebat: Das würde statt finden, wenn Christi heiliger Leib, des unheiligen Japeti Leib wäre. MS.



HAMELMANNUS. Idem & nos dicimus, interim non sequitur, quod propterea non ore corporis sumantur corpus & sanguis Christi. Mysterium spiritus est Evangelium, tametsi aure non minus, quam fide hauriatur, fides enim ex auditu verbi est. *Rom. 10.* *

JAPETUS. *Quorsum opus est illa externa sumptione orali, quam vos urgetis, dicentes, ore corporis sumi corpus Christi?*

HAMELMANNUS: Irænum, Martyrem adducam, qui ait *lib. 4. cap. 33.* Corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, sed spem resurrectionis habentia: Item, *lib. 5.* Quemadmodum vitis lignum depositum in terris fructificat suo tempore, & granum tritici decidens in terram, & dissolutum multiplex resurgit: Sic & corpora nostra, & carne & sanguine Christi nutrita, & reposita in terram, resurgent suo tempore, verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Patris. Et Justinus ait in sua 2. *Apologia*, quod hæc sacrata alimonia corporis & sanguinis Christi nutrit carnem nostras & sanguinem nostrum, &c. Similia extant apud *Chrysostomum*, *Cyprianum*, *Augustinum*, & alios Patres dicta. **

JAPETUS. *Istis testimonii acquiesco, & letus subscribo ordinationi Ecclesiastice Incliti HEROIS nostri, & interim & vobis, Magnifici Domini, & in primis Dn. Superattendenti, pro pia institutione gratias ago.* ***

Sic ille subscrivit, absque ulteriore disputatione.

CON-

* *Hæc instantia D. ab Halle, Cancellarium mire afficiebat, unde Tilingium alloquebatur:* Es ist unser Herr Licentiat doch ein brauer Theologus, qui omnes sophistificationes Calvinisticas potest retundere. MS.

** Ey, das ist eine unchristliche Frage. Wo keine leibliche Niessung ist, da ist auch keine sacramentliche. *Opus est illa externa sumptione orali, ut corpus Christi cum Christianorum corporibus uniatur.* MS.

*** *Semper triumphat veritas, Doctor ab Halle dicebat, & qui huic cedit, non suffunditur.* Herr Japetus thut recht, das er in sich gangen. Denn recht muss doch recht bleiben. MS.



CONRADI QUANTII * Argumenta, publice
proposita, præsidentibus, iisdem Consiliariis Oldenburgicis & Jeve-
rensibus, & tunc soluta 13. & 14. Februarii in eodem loco urbis
Jeveræ, primo de

EX ORC I S M O.

Admonitus à CANCELLARIO QUANTIUS, ut si quid in ordinatio-
ne desideret, coram Superattendente explicet.

QUANTIUS, *de Exorcismo, quod non sit lictus, probo sic, quia in-
fantes sunt sancti, & non à Diabolo obsecuti. Ergo, non sunt exorcizandi.*

HAMELMANNUS. Infantes sunt in peccatis nati & concepti, *Psal.
51. & filii iræ, Epheſ. 2.* Ergo sunt morti subjecti, *Rom. 6.* & per conse-
quens, autori mortis diabolo, *Hebr. 2.* subjecti sunt, ideo mysticè, non
quidem externo modo, obsecuti sunt.

QUANTIUS. *Hoc Scriptura non dicit.*

HAMELMANNUS. Ex consequentia Scripturæ hoc deduxi, & id
aperte in Scriptura legitur, *Luc. 11.* Ubi homo domus Satanae dicitur.

QUANTIUS. *Verbum ADJURO, non est usitatum, quod est impiorum
Exorcistarum, Papistarum, Ariolorum & incantatorum. Ergo impie fit
ibi adjuratio.*

HAMELMANNUS. *Adjuro, est valde usitatum in verbo Dei, ut pro
impero, adigo, & cogo usurpetur, Matth. 26.* Adjurat per Deum Ponti-
fix Christum, & diabolum *Marc. 5.* Ergo non male usurpatur.

QUANTIUS. *Ergo diabulos & malos debemus imitari?*

HAMELMANNUS. Etsi hoc non reprehendatur à Spiritu sancto
in Scripturis, quasi id male factum sit ab iis, licet ipsi mali essent:
Tamen vide *3. Reg. 2.* ubi adjurat Salomon Simei, ut domi maneat.
Item, *Paulus 1. Thes. 5.* Eos per Dominum adjurat, ut eam epistolam
coram omnibus legant.

B

QUON-

* Quantius war Prediger zu Wadwarden in den Jeverschen. *Mir favebat
Calvino, pro quo sanguinem voluit effundere.* Der Cantzler wolte ihn mit
guten gewinnen, und der Teich-Richter M. Tilingius auch, *sed maluit in
tenebris Calvini, quam in luce ecclesia versari. MS.*

QUANTIUS. Non est instituta Exorcizatio à Christo, Ergo non debet addi. *

HAMELMANNUS. Christus quoque non instituit in Cœnæ ordinatione, ut oratio Dominica adderetur, & illa tamen est ab Apostolis addita, ergo in illa re male factum? Ipsi Cingiani addunt Baptismo aliquot orationes, ergo, quia illas Christus non adjecit, male adiiciuntur? Vide igitur, qualis sit consequentia: Multa sunt, quæ quidem, per se in certis syllabis, in Scripturis non extant, & tamen ex Scripturis consequentia eorum deducitur, alioqui & Pædobaptismus non posset probari, ideo si talia verba non extent in Scripturis, modo ibi eorum effectus adsit & extet, sufficit.

QUANTIUS. Si opus fuisset, aut esset de substantia baptismi, non præteriisset nec omisisset eum Christus.

HAMELMANNUS. Nos non ita exorcismum censemus necessarium, quasi de substantia Baptismi sit, sed docemus, esse declarationem quandam, adjectam a veteribus Baptismo, ut inde cognoscatur, in quanto malo, & nos, & nostri infantes hereant, & non impiam, sed utiliē ceremoniam esse censemus.

QUANTIUS. Nihil omiserunt, quod ad salutem spectet, Apostoli. At non usurparunt Exorcismum, quia de eo nullibi legitur. Ergo non est usurpandus.

HAMELMANNUS. Non est dubium, quin Apostoli eo sint aut usi, aut effectum Exorcismi, quem ex scripturis deduxi, retinuerint, quia eum ex Scripturis etiam Augustinus comprobat, ut apud Tertullianum, Nazianzenum & Optatum Milevitaniū similiter probatur, nulla ergo est disputatio de eo.

Vice Comes BORCHARDUS: Is non obscure prodit Calvinismum suis istis verbis, qui error est pernitosus.

DE

* Tilingius: Satis est, nullibi prohibitam esse. Si enim instituta esset, non res adiaphora, sed necessaria esset.



DE SACRAMENTO CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI.

QUANTIUS. Sententiam ordinationis de Cœna Dominica, non possum quoque approbare, ex multis causis. Articulus ascensionis impedit, quo minus credam, corpus Christi esse in Cœna.

VICE COMES. Dixi, eum Calvinistam esse, quod jam manifeste prodit. *

HAMELMANNUS. Ille hoc maxime confirmat, quia ascendit ad dexteram majestatis & virtutis Dei, quæ dextera fuit, antequam ullus locus, vel cœlum, vel terra, aut omnis creatura esset, dextera illa est in Cœna, cur igitur ibi Christi corpus non esset?

QUANTIUS. Dextera Dei est simpliciter ubique, Ergo & Christi corpus est extensum per omnia, ita & hac ratione non manet corpus verum.

HAMELMANNUS. Non loquitur de crassa ubiquitate vel extensione corporis physica: propter majestatem, qua prædictus est, & propter omnipotentiam etiam Christo homini datam, potest esse, si velit ubique, aut ubi vult, ineffabili modo. At, id quomodo fiat, nos in hac vita ignoramus, credimus propter verbum. Ita dicitur, super omnes cœlos ascendisse, & cœlis altior factus, quod etiam Oecolampadius de humana in Christo natura exponit cum omnibus veteribus Patribus, supra cap. Hebr. 7. imo Ephes. 1. dicitur, super omnia, & supra id, quod potest dici & nominari, exaltatus esse, quia secundum naturam divinam non exaltatur, sed super omnia exaltatus est & manet in carne. Si igitur ratione humanitatis est super omnia, quæ possunt dici, exaltatus, ideo articulus ascensionis non impedit, sed confirmat hoc ipsum, & interim manet homo, sicut hic fecit miracula, quæ nullus hominum facere potuit, & tamen homo erat.

QUANTIUS. Sicut vidistis eum euntem, ita videbitis eum redeuntem, ait Angelus: Ergo non potest hic esse.

HAMELMANNUS. Hoc est de visibili ratione, modo, eademque autoritate, ut abiit, (sine dubio exceptus à coelesti exercitu, & cum

* Annuebat Dn. Gancellarius, & Licentiatus Hamelmannus. MS.

potentia per omnes Angelos, quod declarare videtur gaudium Apostolorum, teste Luca, quod reversi sint Hierosolymam cum gaudio magno, ut postea essent in templo, laudantes & benedicentes Deum) sic videbitis cum redeuntem cum potentia, maiestate, & cum Angelis in gloria & triumpho, sicut etiam dicitur 1. Thess. 4. & 2. Thess. 1. de ejus glorioso adventu.

QUANTIUS. *Habere Christum corpus physicum, & palpabile, & visibile post ascensionem, Scriptura ostendit, Ergo non potest alibi esse, quam ita in loco.* *

HAMELMANNUS. Ergo lento gradu abiit quoque ad cœlum: quomodo igitur tam immensum, & tam spacious, & tantum iter, quod Mathematici multis, imo propediem infinitis dimetiuntur miliaribus, hoc nudum physicum corpus perficere potuit? Tunc quoq; opus habuisset scala, & sic in physico corpore mansisset quantitas, crassities, qualitas, moles, & pondus corporis. Sed contra, Paulus vocat corpora resurrectionis spiritualia, gloriosa, immortalia, hoc est, ut exponunt Patres sancti, videlicet, *Augustinus, Prosper, Chrysostomus, Oecumenius, Euthymius, Nicephorus, agilia, celeria, tenuja, absque mole & pondere, sursum tendentia, perfecta, absoluta, integra:* ideo etiam multo reverentius de corpore Christi, quam de nostris cogitandum erit.

QUANTIUS. *Divinitas hoc effecit, ut subito raperetur per nubes.*

HAMELMANNUS. Si igitur ad momentum propter divinitatem potuit esse absque localitate, cur non semper posset? & eadem ratione, eo, quod Filius Dei hominem assumpserit in unam personam, & quod secundum humanitatem ei omnis potestas in cœlis & in terra data sit, potest hoc in coena præstare.

QUANTIUS. *Interim post resurrectionem, fuit in certo loco, & habuit*

* Vice Comes dicebat: Führte Quantii Vernunft das Präsidium, so würde dieses alles gelten. Sed corrupta Quantii ratio, non est norma explicandi articulum de Cœna. Ich sage es noch einmahl: Prodit Calvinismum suis verbis. MS.



buit corpus visibile, locale & palpabile, ut Angelus ait: Non est hic, &c. sic & ante mortem similiter habuit locale, ut dicitur: Gaudeo, quod ibi non fuerim, cum amicus noster Lazarus mortuus est.

HAMELMANNUS. Cum sciret illum mortuum, nonne hoc homo Christus, ut tu ipse dicis, absens sciebat? videlicet Lazarum mortuum, interim hoc homo Christus dicebat ore, videlicet se hoc scire & gaudere propter Apostolos, quod ibi non fuerit: ideo, in ista historia duo sunt consideranda, Status exinanitionis, & forma servi, & rursus conditio majestatis: quia illa sunt diversa. Duos enim consideres, neesse est, status in Christo, formam servi, sive statum exinanitionis, quando nasceretur, esset puer, cresceret, laboraret, cum Apostolis conversaretur, dormiret, ederet, biberet, pateretur, fatigaretur, vestes haberet, moreretur: & deinde statum gloriae & majestatis suae, quando miracula ficeret, resurgeret a mortuis, ascenderet in coelum. Quod ad primam formam & statum attinet, fatemur, Christum secundum eum hic, ut hominem alium, in loco fusisse. Jam vero propterea esse debere quoque in loco Christum, ratione humanitatis semper, cum ex statu exinanitionis exemptus sit, non sequitur, postquam Scriptura contrarium dicat, & eum ab omni loci necessitate eximat.

QUANTIUS. Interim etiam post resurrectionem habuit corpus organicum, dum diceret, se non esse spiritum, habere carnem & ossa, & diceret angelus: non est hic:

HAMELMANNUS. Vide quæso argumentum, Angelus dixit, non est hic, ideo fuit in eo loco, & eatenus cogitur esse in loco semper? Tunc quoque ostendit manus, & pedes, & vestigia vulnerum, ergo semper illa retinet? tunc non nudus apparuit, quia Maria existimans hortulanum eum non nudum vidit, & dum peregrinum censerent illi euntes in Emaus, non habuerunt eum inter se nudum. Ergo in coelo vestimentis utitur? Item edit cum Apostolis, ergo jam in coelo edit & bibit? Sed Paulus ait, non esse regnum Dei escam & potum, sed pacem & gaudium in Spiritu S. Patres autem dicunt talia

lia œconomia causa facta esse, ideo super istum locum Evangelistarum scribit *Chrysostomus*: Ut resurrectio crederetur, talem se exhibuit, & *Cyprianus* in serm. Paschali, ex dispensatione, non in debita corporis sui gloria, sed in prima figura cernebatur. Item, sed neque eandem gloriam, quam antea ostendit Apostolis, illico ostendit, sed quod videre consueverant, hoc viderunt, & dilata est claritatis plenitudo, quæ in se erat perfecta. *Euthymius, Theophylactus & Nicephorus Callistus* scribebant, Christum ea omnia propterea fecisse, ut resurrectionis novæ fidem facheret, & phantasmatis opinionem aboleret. Ideo in oratione de resurrectione Domini ait *Gregorius Nyssenus*, cæterum quod nudus JESUS absque linteaminibus resurrexit, significat, eum nequaquam posthac cibi potusve, aut indumentorum gestaminis atque operimenti egentem, in carne cognitum. Etsi id quod decretum & dispositum, ac destinatum erat exequens & administrans, sponte sua se his rebus subjecit, &c. En sponte sua se his subjecit, ergo non ex necessitate & coactione quadam. Et super locum illum *Acto. 2.* Nubes eum suscepit, ait *Oecumenius*: Nubes Dominum suscepit, ut æqualem eum Patri significaret, quippe cum carnem assumpsit Deus, nubis vehiculo usus est: est enim DOMINUS, & propria potestate ascendens, nubem, quæ terrenum quiddam est, ac deorsum tendit, ad ascensionem assumit, quippe cum non magis vehatur, quam vehat. Et *Nyssenus, Orat. 2.* de resurrect. Christi ait, non est hic, ait Angelus, sed resurrexit, significans Angelus, ante suum adventum admirabiliter accidisse resurrectionem Servatoris, quam, ut Deus, propria virtute exequens in iis, quæ deposita & destinata erant peragendis, nullum angelorum auxilium desideravit. Nisi, cum hoc esset, dixisset, ecce resurgit, significans id, quod statim fieret, sed quoniam ante factum erat, præterito tempore utens, dixit, non est hic (in sepulchro) sed resurrexit. Et mox: Angelus primus resurrectionis annunciatricem vocem rupit, nudam designans ac majestatis plenissimam, Deoque maxime convenientem ejus, qui surrexerat potestatem, clamabat: Non est hic, sed resurrexit, &c.

Ad-



Adde, quod idem dicta illa, quibus explicat textum, Præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis, &c. explicit, ubi sic dicit: Ad hanc apparitionem tanquam propriam quandam & præcipuum respiciens Angelus, quam magis etiam eis per alia verba prædixerat, quæ in Evangelicis scriptis non continentur. Nisi cum hoc ita esset, non dixisset Mattheus, viderunt autem Apostoli, & abierrunt in Galilæam in montem, ubi constituerat eis JESUS, &c. Ideo inde nihil potest astrui, ex hoc, quod hic pater ibidem expresse, sicut & reliqui dicant, illum (CHRISTUM) clauso sepulchro per lapidem transisse in resurrectione. Sic inquam, Patres dicunt, eum per clausas januas abiisse, & venisse ad Apostolos, sicut evanuit ex oculis discipulorum.

QUANTIUS. Cum vespera esset, venit clausis januis, quia circa vesperam solent claudi fores, ideo forte per Angelum aperta est, ut alibi per fenestram penetravit CHRISTUS, nec etiam omnes Patres ita loquuntur. *

HAMELMANNUS. Hæc est tua additio. Et si nunc esset vespera, tamen octiduo post reversus, cum esset Thomas cum illis, & quando clausæ jam essent januæ, ibi non additur, vesperi: &, cur clausis januis fuderint, colligitur ex eo, propter metum Judæorum, ideo propter Judæos id fiebat. Imò, omnes Patres sic hunc locum interpretantur, quod per clausas januas mirabiliter pertransierit Christus carne sua, ut *Justinus, Origenes, Cyprianus, Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, Hieronymus, Beda, Theophylactus, Damascenus, Euthymius, Epiphanius, Theodoreetus*. Nec opinor, te Patrem proferre posse, qui contrarium expresse sentiat. Adde, quod in prædicta oratione D. Nyssenus aliter verbum vel dictum, vesperi, interpretetur, dicens: Non hic significat vesperum, qui post occasum Solis fuit, neque enim singulariter dixit vesperi Sabbati: sed pluraliter, vesperi Sabbarum. Sabbata vero totam septimanam solent vocare Hebrai,

nam

* Tilingius: *Hec contra Scripturam dicas, quippe que hunc introitum miraculum fuisse afferit. MS.*



nam ne longius abeas, Evangelistæ, uno Sabbatorum inquiunt, cum dicendum fuisset, primo die septimanæ. Non igitur dixit vesperi, aut sero Sabbati, ut vesperam illius diei significet, sed sero Sabbatorum, ut tardius & multum distans indicaret. Etenim aliquando nos quoque ita dicere solemus, sero vel tardius ad horam venisti, quam usus & necessitas postulabat, non vesperam, neque tempus, quod post occasum Solis est, significantes, sed tardius, & postquam usus & necessitas postulaverit, aut post tempus commodum & oportunum, &c.

QUANTIUS. Certum est, Salvatorem ^{EG} nostrum Emanuelem, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, dixisse: Hoc facite in mei commemorationem. Ubi est memoria, ibi non est res ipsa. Ergo ibi non est corpus Christi. *

HAMELMANNUS. Negatur consequentia: Sed consideremus, quid verbum *memoria*, significet in scripturis, licet Paulus declaret, quid velit eo dicto Christus, dicens, mortem Domini annunciate, interim consideremus Phrases, *in memoria æterna erit justus*, id est, ejus fiet mentio. Et Exodi 23. dicitur, deorum alienorum nominis nomenclationem quidem feceritis, ne audiatur ex ore tuo, hoc est, de iis non prædicabis: sic dicitur, facere alicujus memoriam in precibus, id est, pro eo orare, & gratias agere Ephef. 1. Roman. 1. Philipp. 1. Exod. 12. Erit illa dies nobis *memoria perennis*. Deus instituit multa signa & festa in veteri Testamento, quæ debebant in sui memoriam celebrari. Ergo ille non ibi adfuit? non sequitur.

QUANTIUS. Sed additur apud Paulum, donec veniat, ergo non adest, sed veniet.

HAMELMANNUS. Tantis per hic celebrabimus mortem Domini, donec veniat solenniter ad judicium in secundo adventu, quia tunc ministerii Ecclesiastici usus, ut & ipsa fides ac spes cessabunt, & erit

* Cancellarius: Si hoc sequitur, nec Christus in prima Cœna presens fuit, quia & in ea discipuli cœnarunt in memoriam Christi. Si ita velis concionari, vacillabit totum misterium. MS.



erit ibi DEUS omnia in omnibus. Hæc est veterum interpretatio, Theophylacti, Photii, Oecumenii & Chrysostomi. Interim per se Christus in carne per os locutus est, & dixit absque differentia & distinctione: *Ego vobis cum sum usque ad consummationem seculi.* Et alibi: *Iibi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Item *Johan. 14.* Non relinquam vos orphanos, venio ad vos.

QUANTIUS. Interim, ut illa de divinitate intelligi debent, sic hæc quando dicit, *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper, de humanitate, quia carne recessit à nobis,* intelligi debent.

HAMELMANNUS. Ista intelligenda sunt ex aliis dictis *Johan. 16.* *Hæc vobis ab initio non dixi, quia vobis cum eram.* Et tamen erat adhuc cum ipsis. Item *Luc. 24.* *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum,* & tamen ibi erat, hoc est, dum vobiscum in terris versarer, ederem, biberem, quiescerem, dormirem, docerem: de tali modo apud Johannem & Lucam intelligenda sunt dicta, ut & illa: *Vado ad Patrem, & relinquo mundum.* Ita dicit, *Ego elegi vos de mundo, si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligenter, & tamen Apostoli erant in mundo, sed non mundano more.* Ideo phrases Scripturæ sunt diligenter considerandæ & expendendæ.

QUANTIUS. Veteres comedisse nobiscum eandem escam, & bibisse eundem potum, testatur Paulus. At illi non sumpserunt corpus & sanguinem Domini, ergo nec nos. *1. Cor. X, 4.*

HAMELMANNUS. Sic habet textus minime, sed comedenterunt Patres nostri inter se eundem cibum & eundem potum, non additur in textu, *Nobiscum.* Deinde adjicitur, spiritualem cibum & potum, non autem sacramentalem, pro ut ille usus nobis est institutus, ipso comedisse. * Et mox ibidem ait Paulus, hæc autem figura fure, ergo longe est dissimile.

QUANTIUS. Sed, si est eadem fides, tam in veteri quam novo Testamento omnium, ergo nos nihil magis accipimus, quam isti: at illi non accepérunt essentialē Christi corporis presentiam, ergo nec nos.

C

HA-

* Nam eundem nobiscum sumere non potuerunt, quia Christus in V. T. nondum assumpit sanguinem atque corpus. MS.

HAMELMANNUS. Negatur consequentia, quia Christus non dum apparuerat in carne, & homo natus erat. Ilii in figuris, in involucris, in umbris, in tenebris, & in mysterio, nos in clara luce omnia habemus. Ergo habemus plura, quam isti. Nos Evangelium, quod dicit Paulus *Rom. 16.* æternis temporibus tacitum, revelatum autem per Christum, habemus. Nos habemus Epistolas Apostolicas, scripta Evangelistarum, tanquam explicationes veteris Testamenti & Prophetarum. Ergo plura habemus, quam isti. Ideo non valet tuum argumentum. Sed si est eadem per se utrobius ratio semper, absque ulla distinctione, tunc sunt utrobius simpli citer dona eadem & similia. Hoc pacto, non opus nobis fuisset Christi incarnatione, aut ut pateretur, post resurrectionem cum Discipulis conversaretur, aut nova Sacra menta institueret. Item, non opus fuisset, ut miracula faceret, Evangelium prædicaret, & in orbem terrarum Apostolos mitteret, ad prædicationem ejusdem. Vides, quot inde absurd a sequantur? verum, CHRISTUS ait, *Luce 10.* Multi Prophetae & Reges voluerunt videre, que vos videtis, & non viderunt, & audire, que vos auditis, & non audierunt. Ideo plus est in novo Testamento, quam in veteri, ibi enim, ut inquit Epistola ad Hebreos, *cap. 10.* erat umbra rerum futurarum, corpus autem est in Christo. Et Paulus expresse vocat Vetus Testamentum *2. Corintb. 3.* literam, vel mysterium literæ, Novum vero Testamentum vocat mysterium spiritus & vite. Si mysterium legis fuit gloriosum, quanto gloriosius mysterium Evangelii, &c.

QUANTIUS. Natura Sacramentorum hoc non fert, ut sit ibi praesens corpus Christi. Ergo non est. *

HAMELMANNUS. Augustinus dicit: *Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Ergo jam accedens verbum, adfert & efficit hoc, quod promittitur in institutione, ut ibi vere corpus Christi exhibeat, quia non sunt tantum enunciativa, sed etiam exhibitiva

* Tilingius. Neque hoc fert scriptura, ut natura sacramentorum ex tuo cerebro explicetur.

verba in hoc Sacramento, ratione institutionis. Nam nos hunc honorem habemus Christo, ut credamus verbis ejus, & nos movent circumstantiae, quod ipsis verbis condiderit Testamentum, quod haec, jamjam moritus, instituerit: Et ita quidem solent testatores proprie loqui, non obscure, non ambigue, & ut simplicissime Baptismi formam instituit, sic & Cœnam Dominicam apertis verbis. Cum igitur novum Sacramentum instituere vellet, claris certe & debuit & voluit uti verbis. Et iisdem verbis haec repetit Paulus, longe post institutionem primam, & eadem verba retinet. Etsi quadam aut unio inter Sacraenta, vel una aliqua Sacramentorum ratio sit, respectu instituentis & autoris, aut quoad finem, tamen cujusque alia est materia & forma, itaque unumquodque ex sua institutione considerandum est.

QUANTIUS. *Fides est hypostasis rerum sperandarum, & non apparentium, ergo non potest esse ibi Christi corpus præsens.*

HAMELMANNUS. Negatur consequentia, nisi forte tale argumentum facias, *Fides est hypostasis rerum sperandarum & non apparentium. Ergo nihil præsens habet fides, sed tantum futura expectat.* Hic rursum negatur consequentia, quia credimus, in nobis habitare Spiritum sanctum, & per eum nos duci, ergo non est præsens? non sequitur. Ibi loquitur textus Hebræorum cap. XI. de promissionibus, quas fides apprehendit, etsi nihil videamus, vel præsenter aliquid habeamus in conspectu. Item, Credimus Ecclesiast Catholicam, ergo non est hic præsens? Non sequitur, sed quia in Cœna apprehendimus promissionem in Sacramento nobis exhibitam, quæ adfert quod promittit, ideo reverenter credimus verbis Domini, quæ ille tanta constantia, & jamjam moritus protulit in Testamento, & in novæ rei institutione, gravi cum judicio afferuit, quæ etiam tam diligenter ab Evangelistis tradita, & ab Apostolo Paulo repetita sunt. Ideo etiam haec diligenter consideremus, quæ in libro mei Dn. Compatris, viri clarissimi, M. HENRICI TILINGII,* hic præsentis, ha-

C 2

ben-

* *Tilingius ea ubertate doctrinae Juridice & Theologicae, ea etiam in judicando sub-*



bentur scripta, à Doctoribus Theologis, propria manu. Sic scribit CYRILLUS super Johannem libro 4. cap. 23. Caro Christi non ad corruptibilem suam naturam junctum Dei verbum detraxit, sed ipsa ad melioris virtutem elevata est. Quamvis ergo natura carnis, ut caro est, vivificare nequeat, facit tamen hoc, quia totam verbi operationem suscepit. Et cap. 24. Quomodo autem id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus, sed silentio atque firma fide id suscipimus, &c. Ideo de modo, quomodo ibi esse possit præsens, non disputemus. Item ATHANASIUS, nostrum est credere, Dei est nosse. Hanc piam regulam in hac controversia de præsentia corporis Christi, sequamur, cum Filius Dei, qui mentiri non potest, dicat, Panem benedictionis in Cœna esse suum corpus, quod pro nobis dedit, nefas esse putemus, huic verbo diffidere. Quomodo vero verum & esse corporeum, possit adesse præsens in Cœna, & manducari ore, novit ipse DEUS, cuius omnipotentiæ & immensæ sapientiæ, hoc mysterium committamus, & fide obediamus. Et recte, inquit AMBROSIUS, Aufer argumenta, ubi fides queritur, in ipsis Gymnasiis suis jam Dialectica taceat, pescatoribus creditur, non dialecticis.

QUANTIUS. Si tantum fide sumitur, quod vos creditis & docetis,
ergo non ore?

HAMELMANNUS. Negatur consequentia, sed hoc puto tuum, esse argumentum, omnis res spiritualis fide sumitur: Cœna Dominica, vel mysterium Cœna, id est, corpus & sanguis Christi, est res spiritualis, ergo fide suscipitur & non ore. Jam nego consequentiam, Evangelium est res spiritualis, at illud non solum fide, sed etiam aure corporis suscipitur & auditur. Ideo, cum reverentia decet nos ad verba Christi Salvatoris & Testatoris respicere. BASILIUS, ut habet Theodoretus,

libro

subtilitate erat instritus, ut unus ille, omnibus Sophistis potuerit opponi. In clytus noster Comes sape dicere solebat: Ich habe an ihn einen Mann, der wohl rathe, wohl schreiben, und wohl reden kan. Præcipuum inter Tilingii dotes hec fuit, quod in ingenium & linguam suam dominium absolu-
tum exercuerit. Er war seiner mächtig. MS.



libro quarto capite 17. sua bistorie, cum alliceretur beneficiis & honore Imperatoris Valentis per Praefectum Modestum verbis assentatoriis ad subscriptionem Arianismi, respondit: Pueris hæc oratio convenit, si quidem illi, ac sui similes, ejusmodi verba accipiunt. At qui in sacris literis sunt educati & eruditi, nec unam quidem syllabam divinorum dogmatum perdi permittunt, sed pro eorum defensione si opus sit, nullum non mortis genus libenter amplectentur, &c. Et nos tam perspicua verba in Evangelistis, & in Paulo tam clare expressa, debebamus amittere vel invertere, quæ etiam fundamentum in omnium Patrum scriptis habent.

QUANTIUS. Neque nos hoc dicimus, sed sicut Scriptura se explicat, ita dicimus, commode posse textum: *HOC EST CORPUS MEUM*, intelligi, ita sicuti alibi dicitur, *Ager est mundus*. Item, *CHRISTVS est via, & CHRISTUS est ostium*, *Johannes est Elias*, &c. Item, *CHRISTUS est vitis, & similia, ita posse hic dici, panem esse corpus*, &c. *

HAMELMANNUS. Magna est differentia inter hanc historiam, & verba institutionis Cœnæ Dominicæ, quæ sunt enunciativa, & deinde inter parabolam & similitudinem, quæ non probat sed illustrat, ideo circumstantiæ sunt considerandæ, quod in Cœna ultima Testamentum condiderit verbis apertis, & expresso mandato, quare longe est alia ratio verborum istorum, quam eorum, ubi ex professo coram plebe per similitudines & parabolas disserit Christus. Quando enim dicit: *Ager mundus est*, &c. ex professo parabolam explicat, ex rogatu discipulorum, ut textus Matthæi decimo tertio ostendit. Item, Christus est ostium, est via, ibi expresse de pastore, de ostio & de ovili loquitur, *Johan. decimo*. Ut textus indicat, quando ait, se esse viam. Johannis decimo quarto, mox se explicat, dicens, *Nemo venit ad Patrem nisi per me*. Et quando ait, *Ego sum vitis*, Johannis decimo quinto, mox se explicat dicens, *Vos palmites*, quatenus discipuli erant palmites, eatenus erat ille vitis. *Johannes est Elias*, *Mattb. decimo* se-

C 3

pti-

* **CANCELLARIUS:** *Rogo Te, Domine Pastor, ut propositiones non confundas, sacramentales afferas, libenter te audiemus. MS.*



primo, sed hoc explicat Christus, ipse scilicet. Helias, qui venturus erat, nempe, in virtute Heliæ, ut Angelus ait, qui in virtute Heliæ præcedet Dominum. Ideo, longe alia est ratio inter hanc institutionem, & verba Coenæ, & ista, quæ ita parabolice dicuntur à Christo, consideratis circumstantiis. Athic, ut verba Coenæ, & repetitio Pauli habent, non in parabolis agit. Et Paulus ait: *Panis quem frangimus est communicatio corporis*, ubi in sua significatione manet verbum, EST. Ideo reverenter cum circumstantiis consideremus, & expendamus verba hæc, & quo tempore, quomodo, in quem finem, hæc à Christo dicta sint, & coram quibus. Ideo expendamus hoc, quod dicit Spiridon, teste Sozomeno libro i. capite ii. Nicephoro libro 8. capite 42. quando audiret Episcopum Ledrensem Triphyllum, virum doctissimum, in conventu publice coram plebe concionantem, & adducere volentem dictum Salvatoris ad Paralyticum recitatum, aliter, quam scriptum erat: *Tolle grabatum tuum, & ambula*, quando iste diceret mutato vocabulo pro grabato scimpođem, id est, lectum humilem, &c. *Tolle scimpođem & ambula, &c.* Spiridon iniquo illud ferens animo, *Tu ne, inquit, melior eris illo, qui dixit grabatum, nunquid te ejus verbis uti pudet?* Ideo, hic nihil temere debemus mutare.

QUANTIUS. CHRISTUS sursum est ad dexteram Dei. Sursum, est adverbium loci.

HAMELMANNUS. Ergo est in loco, ratione corporis, non sequitur. * Ecclesia canit: *Sursum corda*. Item Coloss. 3. Quæ sursum sunt, quærите, quæ sursum sunt sapite. Ergo & ibi denotat locum, verbum ~~sursum~~, quod sane ineptum esset. **

QUANTIUS. Est in cælis, ergo est in loco.

HA-

* SURSUM, non negare à Calvinianis presentia, sed affirmata à Christianis Devotionis verbum est. MS.

** CANCELLARIUS: Magnus hospes es in scripturis, ut unicam voculam SURSUM non intelligas. Affer locum, ubi SURSUM opponatur omnipresenti. in terra. Ego hec scio, das droben, non notare locum, sed statum. MS.



HAMELMANNUS. Scriptura dicit, eum ultra cœlos exaltatum, & supra id, quod nominatur, ideo & ultra locum elevatum: imo cœlis altiorem factum credimus, ergo non est in cœlis tantum localiter. Sed quæ est tua consequentia? Est in cœlis, ergo tantum est in loco. Nos oramus: *Pater noster, qui es in cœlis.* Ergo Deus Pater est in loco, &c. Non sequitur: ideo consideremus phrases Scripturæ, quid cœlum, vel cœli significant, quando pro Dei habitaculo sumuntur.

QUANTIUS. *Impossibile est, ut, si sit corpus verum CHRISTI, quin sit in loco.*

HAMELMANNUS. Ergone statuis ita in certo cœli loco astringi, vel esse corpus Christi, ut non possit esse in terris?

QUANTIUS. *Ita.*

HAMELMANNUS. Et Christus homo apparuit Stephano hic in terris, ut etiam Paulo, *Act. 1. & 2. cap. item, cap. 22. item, capite 23.* sequenti nocte astitit Dominus Paulo, dicens: *Bono animo esto Paule, &c.* Et, ut *Ægesippus* scribit libro tertio cap. secundo. Venit Christus ob viam Petro, & Petrus dixit, Domine, quorsum tendis, & respondit, Abeo Romanum, ut iterum crucifigar, &c. Et omnes historici Ecclesiastici, EUSEBIUS, *lib. 1. capite 22. & 23. de vita Constantini.* SOZOMENUS, *libro primo, capite tertio.* SOCRATES *libro primo, capite primo.* THEODORETUS & NICEPHORUS testantur, quod Christus apparuerit Constantino, &c. Ergo illa testimonia sunt falsa, at non possunt esse falsa.

QUANTIUS. *Hoc fecit forte per visionem singularem, aut per angelum.*

HAMELMANNUS. Textus sunt clari, *Actorum 7. cap.* Video Filium hominis stantem ad dexteram Dei. Item, Dominus astitit mihi. Item, aperta sunt *Ægesippi & Historicorum dicta, &c.* Sed sancti Patres in erudita antiquitate senserunt, ne quidem nostra corpora post resurrectionem fore in loco. Sic scribit AUGUSTINUS, *Tomo 9. libro de cognitione veræ vitæ cap. 45.* Corpus sanctorum resurget spirituale, quia velocitate, levitate, perspicuitate, spiritibus erit æquale,
&c.

& omne solidum erit ei penetrabile, sicut & corpus Domini, lapide clauso surrexit, & januis clavis intravit. Sicut igitur spiritus nunc nullo corporali loco sustentatur, ita quoque non est necesse, ut tunc spirituale corpus aliquo loco fulciatur. Non enim insensibile corpus spiritum, sed spiritus corpus vegetat. Igitur nullus locus, spirituale corpus fulcit, quod omni elemento subtilius erit, sed ut spiritus illocaliter in summo spiritu Deo subsistit, nisi forte hic pro loco accipiatur, quod substantialiter & personaliter circumscribitur. Amplius, aut in hoc corporeo mundo sancti manentes, Deum videbunt, aut extra mundum erunt. Si extra mundum fuerint, tum nulla elementalis materia stantes vel sedentes sustentantur, quia nullum elementum extra mundum comprobatur. Qui enim terram, vel aquam ibi esse credit, nimis irrenus & fluidus desipit. Si autem aërem, vel ignem ibi esse arbitratur, graviter à mobilitate aëris & ignis ipse instabilis, irrisus conspicitur. Ergo extra mundum, nulla materiali fulciuntur, ubi nulla materia invenitur. Si autem in hoc mundo erunt, similiter nulli elemento localiter stando vel sedendo inhærebunt, quia æquales angelis erunt. Cum igitur spirituales sint, in summo spiritu spiritualiter, non localiter manebunt. Porro, illorum corporum gloria non ratione, sed sola fide est contemplanda. Erunt quippe ipsa corpora agilia, ut animus, ut sol perspicua. Quam enim cito nunc animus ab oriente in occidentem cogitatione pervenit, tam cito tunc illud corpus illuc pervenire poterit. Hoc hinc colligitur, quod resurrectio in ictu oculi fienda legitur &c. quod & latius probat rationibus scriptura. Et mox cap. 64. Nos omnes tantum corpus (in vita æterna) Christi in claritate excedit, quantum creator creaturas transcendit. Unde & in dextera Dei Patris sedere scribitur, quia in gloria divinæ majestatis fulgere creditur. *Tomo 10. de tempore in sermone 167. feria 3. Pascha de resurrectione corporum contra gentiles, serm. 4.* Si dicamus, ait (gentilibus) nostra corpora in terra esse nova vinctura, & in cœlo non futura, audacter & temere, imo infideliter dicimus, credere enim debemus talia corpora nos



nos habituros, ut ubi velimus, quando voluerimus, ibi sumus. *De fide & symbolo cap. 6.* Spirituale corpus intelligitur, quod ita spiritui subditum est, ut cœlesti habitationi conveniat, omni fragilitate ac labie terrena in cœlestem puritatem, & stabilitatem mutata atque conversa, &c. *Tom. 3. lib. 3. de mirabilibus Scripturae cap. 8.* Resurrectionis corpora in tantum levigabuntur, ut non solum crassa aqua, sed etiam nubibus, & aëre sustineantur. *Lib. 13. cap. 20. de civitate Dei* dicit, detractam fore corporibus resuscitatis omnem tarditatem & corruptibilitatem. Item, *de civitate Dei lib. 22. cap. 30.* Qui motus corporum sunt futuri, temere definire non audeo, quod cogitare non valeo. Certe, ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum posset decere, nec corpus, &c. Ex ipsis locis Augustini, cum quibus multorum Doctorum sententiæ concordant, videre licet, quod rationibus & testimonijis Scripturæ doceat & confirmet, ne quidem nostra corpora fore in æternâ vita, quasi in loco, postquam illa vita non sit localis futura, sed pax, gaudiumque in Spiritu sancto. Ideo NYSSENUS in oratione de dormientibus, ait, nos per mortem transire ad incorporale, & appropinquare illi naturæ, quæ ab omni corporali crassitudine separata est. Et mox, eam, quæ à sensu separata est vitam, qui cum sensu vivunt, nullo modo prorsus cernere possunt. Mox dicit, ibi omnem corporalem sensum extinctum iri, ubi nec color, neque figura, neque distantia, neque quantitas sit, & quod omnem conjecturalem præterit imaginationem. Item, multas qualitates natura corporis habet, quæ in præsenti quidem vita, ad aliquam rem utilitatem conferunt, sed ad eam vitam, quæ posthac speratur beatitudo, prorsus aliena & inutilia sunt. Et rursum, quod si terrenum nostrum domicilium habitationis dissolutum fuerit, tunc id inveniemus ædificium, à Deo factum, domicilium non manu factum, æternum in cœlis, dignum habitaculum Dei in Spiritu. Et iterum: Nunc quidem quicquid crassum & durum est, natura deorsum fertur, tunc vero ad hoc, ut in sublime feratur transmutatio corporis sit, &c. Ideo corpora.

D

hic,



hic, ut sint crassa, ita loco astricta, sed ibi extra locum erunt. Et rursum: Omnia in divinorem & angustiorem statum transformat mutatio illa, & ea bona, quæ per spem nobis proposita sunt, & oculum, & auditum, & mentem superare creduntur. Idem, in *Oratione: Quod uni fecistis ex his minimis, mihi fecistis*, ait, &c. Non ea, quæ circa fluxam naturam acciderunt, etiam perpetuo permanent. Idem in *Oratione de infantibus*, qui præmature abripuuntur, Angelica & incorporea natura, in supramundanis & supercœlestibus partibus domicilium habet, propterea, quod illa sedes conveniens sit ei & accommodata: Nam sicut natura intellectualis, tenuis quædam, pura, pondersis expers & agilis est, ita corpus quoque cœleste, tenue, leve & semper mobile est: terra autem, quæ extrellum nimirum ex sensibilibus est, quum ad hoc apta atque accommodata non sit, ut in ea degant ea, quæ sola mente comprehenduntur (quam enim communionem habeat id, quod leve est ac sursum fertur cum eo, quod grave & ponderosum est?) ne terra penitus expers & vacua esset ab intellectuali & incorporea conversatione, idcirco providentia meliori, quum intellectuali divinæque animæ, naturæ portio circumdata & abducta esset, ajunt humanam conflatam esse naturam, ut per eam, qua cum pondere corporis coaluit, conjunctionem, apte & accommodate viveret anima in elemento terræ, quæ nonnihil cognitio-
nis & affinitatis habet cum natura carnis. Et, in *oratione de dormientibus*, Beata illa Angelorum vita, corporis mole nihil indiger, &c. Ponderosa sunt hic localia, quæ levia sunt & sursum tendunt, extra locum sunt. Hinc veterum Theologorum sententiam refert NICEPHORUS CALLISTUS lib. i. cap. 32. Christum levi & tenui, & corpore non crasso resurrexisse. Quam etiam EUTHYMUS aliquoties refert in commentariis suis super Evangelistas. Nos quoque similes erimus angelis, Matth. 22. in illa vita. Jam angeli stationem in cœlo, (si juxta adversarios Cinglianos illic locus sit) suam non deserunt, & etiam hic per clausam januam angelus ad Petrum ingredi potest, & hic in terris esse, ergo uno tempore possunt duobus aut in plu-



pluribus esse locis angelī: Ideo hāc Nysseni dicta in timore Domini consideremus. Ita Chrysostomus, Theophylactus, & ut dixi Euthymius, Nicephorus Callistus, atque Græci Doctores docent, videlicet, Christi corpus, leve, agile & subtile fuisse post resurrectionem, & talia fore nostra corpora. Idem, apud Latinos docent cum Augustino, Prosper, Bernwardus & alii. Et cum ipse D. ALBERTUS HARTENBERGIUS, * dicat in positionibus, Brunsvigæ exhibitis Anno 1561. se nolle cum quoquam disputare de localitate aliqua cœli, postquam in cor hominis non ascenderit, nec auris audierit, vel oculus viderit, quæ Deus preparaverit diligentibus eum: Et cum hoc idem dicat hic NYSSENIUS, & AUGUSTINUS expresse lib. 22. cap. 21. scribat sic: Quæ sit autem, & quam magna sit spiritualis corporis gratia, quoniam non venit in experimentum; vereor, ne temerarium sit omne, quod de illo profertur eloquium. Et ibidem cap. 29. Illa actio, vel potius quies, vel otium quale sit futurum, si verum velim dicere, nescio. Et mox: Ibi pax Dei, quæ superat omnem intellectum, quem? nisi nostrum? fortasse omnium sanctorum angelorum, &c. Merito hic quiescimus, & nunquam disputamus de immensa Christi in carne ad dexteram majestatis Dei, supra & ultra omnes cœlos exaltatione. Et Græci commentatores, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius & alii, explicantes locum Ephes. i. docent, excellentem esse magnitudinem in eo, quod terrigena terreaque natura, supra omne cœlum sublimata sit, atque ab incorporeis ordinibus adorari ostensa, addentes hæc: Non simpliciter dicit Apostolus ἀνω, hoc est, supra duntaxat, sed ut nimiam declarat sublimitatem ὑπερ ἀνω dixit, quod dicere possemus valde eminentiusque supra, &c. Et iterum: Priusquam enim carnem as-

D 2

su-

* Hoc autore & incentore, Bremensium Calvinista, cum Embdam se conferret, permulti Carlstadtiano veneno inquinati libri conscribebantur, imprimebantur, & passim in terris Jeverensis distribuebantur iis, qui sub Calvini vexillis stipendia mereri maluerunt, quam in castris Dei contra Calvinum depugnare. Hos inter fuerunt Quantius & Meppelenensis, homines intus & in cœlo Calviniani. MS.



sumeret, æquam cum Patre potestatem habuit, ut nunc quoque cum
 assumpta carne habet. Et *Theodoreetus* dicit, illum locum de homine
 Christo intelligi, quod sumpta ex nobis natura, ejusdem honoris
 cum eo, qui assumpsit, sit particeps, ut nulla videatur adorationis dif-
 ferentia. Qui hæc pie etiam in Scripturis & in Patribus non consi-
 derant, toto coelo errabunt. Et recte dixit *Ambrosius* super illum
 locum *Ephes. i.* sic scribens: Exemplum salutis credentium & gloriæ,
 in resurrectione Salvatoris consistere profitetur Apostolus, ut ex ea
 cognoscant fideles, quid eis promissum est. Simili enim modo ex-
 tollentur supra coelos, futuri cum Christo, sicut ipse dixit, *Pater, volo*
ubi ego fuero, & hi mecum sint, & videant gloriam meam. Hoc propter
 incarnationem filii Dei, ut etiam homo factus super omnes coelos
 esse dicatur, & super cunctam creaturam sedens ad dextram, habens
 nomen Dei, &c. Quid clarius potest dici? Ubi igitur manet illa lo-
 calis localitas corporis Christi in coelo, cum etiam nos extra & supra
 coelos, & ita ultra locum simus cum Christo futuri? Ut igitur con-
 ditio coeli, & qualis, vel quis sit absolutus ille coelestis gaudii status,
 captum nostrum, & intellectum omnem, sensumque superat,
 quia sicut viæ ejus sunt impervestigabiles, & profunditas sapientiæ ejus
 immensa, & inscrutabilia judicia ejus, ita quoque & habitatio
 Dei, & conditio coelestis, est inenarrabilis, & sicut pax Dei exuperat
 sensum nostrum, ita & regnum Dei. Ibi non amplius erit tempus
 quod in circumscriptione alicujus rei non minus, quam locus requi-
 ritur. Cur igitur localitati externæ obnoxium esset regnum Christi? Nam, si coram Domino erunt mille anni, ut unus dies, quomodo igi-
 tur erunt corpora nostra, an in loco corporali, cum sint spiritualia
 futura, vel in Deo ipso, qui, ut ait *Augustinus*, erit ibi locus noster, quis
 audebit asserere? Raptus in tertium coelum Paulus, audivit verba
 inenarrabilia, quis igitur beatorum corporum conditionem, ne-
 dum Christi super omnes creature præminentiam enarrare poter-
 rit? THEODORETUS ait alibi *in dial.* Nostrum est credere, illius
 est scire, ita hic quiescamus. Si enim omnia corpora erunt in cir-
 cum



cumscripto loco, crasso quodammodo, & etiam resuscitata, tunc ita resurgent in die judicii. Ubi igitur tot homines, qui singulis seculis in tot urbibus, pagis, regionibus, provinciis, & insulis fuere, existere possunt, quia eos vix tota terra capiet, & interim cœli incensi solventur, & elementa æstuantia liquefiant, & terra cum omnibus, quæ in ea sunt, exuretur, ita ut novum cœlum & terra fiat, 2.Petr.3. Ubi interea existent, donec illa pereant, & novum cœlum & terra creentur? Et puto, illa non contentiosis satis esse & sufficere.

QUANTIUS. *Articulus ascensionis est clarus, qui habet, eum inde redditurum.*

TILINGIUS. Apud te nulla argumenta, rationes & testimonia, etiam probe expensa, valent, omnia videris surda aure præterire, quæ dicit Superattendens, & interim dilaberis ad idem, & hodie, sicut heri, prætendis articulum ascensionis, verba cœnæ? Num hoc bene sequitur, *ascendit, ergo non dat corpus & sanguinem suum juxta verba institutionis?* Aristoteles differit de loco, quod in eo omne sensibile corpus sit. Hoc num de exaltato & spirituali Christi corpore, possit dici, tu perpende. *

QUANTIUS. *Si ascendit, & est ibi, ergo non est in cœna.*

TILINGIUS. Nunquid tu existimas, eum ita sedere ibi, ut nos hic sedemus, & ita, juxta tuam rationem, frustra instituisset coenam, nec vera essent, quæ dixit.

HAMELMANNUS. Epist. ad Hebr. ait cap. 10. eum perpetuo sedere ad dexteram Dei. Si sessio est localis, ergo semper, & saepius sedendo fatigatus, habuisset hic meliorem conditionem in terris, quæ ibi in cœlis.

QUANTIUS. *Sessio denotat gubernationem, & Christus non corporaliter, sed mystice & spiritualiter dat corpus suum.*

D 3

Ti-

* In Quantio cernere licuit discipline Calviniane formam, & profligata pertinacie exemplar, ad indolem veterum Hereticorum comparatum. Er wolte sich helffen, und konte nicht; Hinc modo hoc, modo illud pro desperata causa allegabat. MS.

TILINGIUS. Christus non loquitur de mystico & spirituali corpore, sed de eo, quod pro nobis in mortem traditum est, & clarus est Evangelistarum textus, & perspicua repetitio Pauli. Interim miror vos dicere, hominis proprium esse, existere in loco: Sic ne tu sentis?

QUANTIUS. Imo.

TILINGIUS. Jam nihil differentiae inter reliqua animalia, & ipsum hominem constituis, quoniam & illa, quotquot hujus mundi sunt, existunt in loco. Sed, quia Aristoteles aliter definit *hominem*, & aliud *proprium hominis* constituit, videlicet, habere hominem animam rationalem, rectam faciens differentiam. Ideo, in loco esse, est, ut alia multa in homine, merum accidens, sicut sunt dormire, edere, jacere, bibere, &c.

QUANTIUS. Et alia animalia habent animam.

TILINGIUS. Habent animam *sensitivam*, ut & plantae *vegetativam*, sed non *rationalem*.

HAMELMANNUS. Plato definiens hominem dixit, *bipedem esse*, mox Diogenes *Gallum*, cui plumas detraxerat, projectis in scholam Platonis, dicens, *Ecce hominem Platonicum*. Ideo in definitione, verum est querendum proprium. Sed, si omne corpus cogitur esse in loco, dicas mihi, in quo loco tam magnum corpus, scilicet coelum ipsum existat? cum Aristoteles non existimet, hoc in loco esse, lib. 3. *Meteor.* recita porro, in quo loco existat terra? &c. Des rationem, quomodo videoas oculis, audias auribus, vivas & stes, naribus odoratum percipias? Si nihil horum percipimus ratione, quomodo igitur ista tam magna intelligemus?

TILINGIUS. Si est accidens, *Essere in loco*, ergo potest abesse vel adesse citra substantiae lesionem vel corruptionem: Et illa accidentia sunt hujus mundi.

QUANTIUS. Paulus vocat panem *xouvarian corporis*, non realem presentiam.

HAMELMANNUS. Ut alibi dicit Paulus de *Kovarica* eleemosynarum praesentium reali, *Rom. 15.* & de *Kovarica* spiritus praesentis & non absentis,

absentis, 2. Cor. 13. Item de Evangelii communione præsentis, Ephes. 3. sic etiam dicit de *novavia corporis & sanguinis*, ibidem præsentis, ut etiam hoc Patres, Chrysostomus, Theodoreetus, Theophylactus & Oecumenius explicant, dicentes, ibi in calice esse eum sanguinem, qui fluixerit de latere Christi.

QUANTIUS. *Cur tantopere vrgetis, ut realis præsentia corporis in Cœna retineatur.*

TILINGIUS. Quia CHRISTUS hoc instituit, dicens de pane: *Hoc est corpus meum, & de calice: Hic est sanguis meus.* Ibi, *EST*, denotat realem præsentiam, & ideo non aliud potest edi & sumi, quam quod promittit & dat Christus; Si vero hoc editur, certe id ore tenus fit.

HAMELMANNUS. Irenæus dat aliam rationem quoq; non incommodam. Ut enim dicit, duas esse in Eucharistia res, cœlestem & terrestrem, ita ait præcipue lib. 4. carnem credentium esse capacem vitæ æternæ propter usum corporis & sanguinis Christi, & deinde propterea quod membra simus de carne ipsius Christi, & os de ossibus ejus, Ephes. 5. ideo, ut ita pascamur tali nutrimento, hoc retinetur in Ecclesia.

QUANTIUS. *Si hoc sit propter resurrectionem, tunc illa ratio est nulla. Nam & Iobus creditit, se ad vitam resurrectum, cum diceret: Scio, quod Redemptor meus vivit, & ego visurus sum eum in carne mea.* *

HAMELMANNUS. Et M. Tilingii argumentum, & meum posterius omittis, atque unum, quod tibi ad cavillandum commodum videtur, assumis. *Justinus & Irenæus* has rationes, atque adeo etiam plures Patres, afferunt, interim tempore Jobi nondum venerat in carnem Christus, & nondum instituerat Cœnam, qua etiam Job nunquam usus est, sed juxta tuam rationem frustra instituisset Christus Cœnam. Ego hunc honorem defero Christo, ut ei credam, ideo si per hunc usum Cœnæ Dominicæ certus, quod animo & corpore

* *Inepta est consequentia: Jobus non manducavit ore tenus corpus Christi, & tamen ad vitam resurget. Perinde enim est, ac si dicerem: Jobum non regeneravit Baptismus in V. T. Ergo nec Quantium regenerat in N. T. MS.*



pore munderi a peccatis, & quod debeam in utroque ita mundatus, vitam possidere aeternam, & esse ac manere membrum Christi.

TILINGIUS. Credis etiam, nos aliquid ibi amplius sumere, quam panem & vinum?

QUANTIUS. *Imo.*

TILINGIUS. Quid igitur aliud ibi praeter elementa daretur, quam illud ipsum, quod ibi promittit Christus, & de quo dicit in Coena?

QUANTIUS. *Sed hoc fide accipitur.*

TILINGIUS. Tu digrederis ab uno ad aliud, nec consideras *Superattendentis* solutiones, sic jam ad istud tibi antea responsum est. Hac ratione disputaremus tecum in infinitum, & actum age-remus.

Dn. CANCELLARIUS. Satis est cum illo actum, dicat, quid tandem statuerit, velitne ordinationem Inclyti COMITIS, & Domini nostri Clementissimi sua subscriptione approbare, aut in deliberationem totum negocium suscipere. *

TILINGIUS. Non petis spatium deliberandi? Oro, ut singula sumas in deliberationem, tempusque concessum tibi quoque sume, ut postea tandem respondeas: quia tibi æqua proponuntur: & pia vocatio non est temere deserenda.

R E L A T I O T H E O L O G I C A,
quid die XV. Februarii ante prandium actum sit, praesidentibus iisdem Consiliariis, & praesentibus Pastoribus Jeverensisibus

cum

J O H A N N E M E P P E L E N S I.

Admonitus a Domino Cancellario Meppelensis, ** ut cum diu
or-

* Nec primum, nec secundum volo. MS.

** Non indoctus erat Meppelensis, Plebanus Sillenstedensis, sed Calvinismum noluit abjurare. Unde Consiliarios Oldenburgicos graviter offendit. Inclytus Comes dixit: Er mus entweder der Warheit weichen, oder gar vom Dienste weichen. MS.



ordinationem Incliti Domini COMITIS nostri habuerit & legit, ut coram Superattendente in praesentia omnium referat, quid in ea desideret.

JOHANNES MEPELENSIS. *Ita nos astringimur ad Catechismum Lutheri, quasi alii non habuerint dona plura, quam unus Lutherus. Multa retinentur in eo Catechismo, quæ Papismum sapiunt, ut est signatura crucis: item, quod intermittit secundum præceptum: Non facies tibi sculptile. Ideo iste non potest, nisi cum lesione conscientie, suscipi.*

HAMELMANNUS. Ut certa forma & doctrinæ & Catecheseos breviter retineretur in Ecclesia, eaque una, ideo, cum primus fuerit Lutherus, qui veritatem Catechismi ex tenebris eruerit, merito is Lutheri succinctus & brevis Catechismus, in gratiam juventutis & rudis populi, cum nihil sit brevius & succinctius illo, quod possit pueris proponi, retinetur in templis. Quod ad signaturam attinet, est illa libera ceremonia, si removeatur abusus, & quidem per se non mala, etiam Augustini tempore in Ecclesia visitata. Vedit quoque *Constantinus Magnus, Cæsar, in aëre signum crucis, cum additis verbis, in hoc vince, quod postea ei apparens Christus confirmavit: vid. Euseb. lib. 1. de vita Constan. cap. 22.* Ideo certe malum per se non est. Quod ad illud, quod de præceptis Domini affers, attinet, scias, illam formam mandatorum, quæ a Luthero retinetur, Augustini tempore usitatatam fuisse, & brevitatis causa tam succincte & tam paucis verbis comprehendi decem præcepta antiquitas erudita voluit, ut a rudibus tanto facilius possent memoriter disci. Verum, illa verba sub eo, Non habebis Deos alienos, comprehenduntur.

MEPELENSIS. *In vestro libro afferitur corporalis praesentia corporis Christi, quod ego quatuor argumentis impugno.* 1. *Est inutile, vel otiosæ mentis cogitationes sunt, dicere, presentiam corporis, quod nullo argumento probatur.* 2. *Quia Christus habet corpus organicum, quod vos facitis ubique, ideo malefacitis.* 3. *Confunditis naturas, quia ipse ante mortem dixit, Gaudeo, me illuc non fuisse.* Et post resurrectionem
E dixit



dixit Angelus, Non est hic, & ibi videbitis eum redire, ut abiit.
4. Hoc pacto ascensio vocatur in dubium. *

HAMELMANNUS. Si est inutile & otiosum, Ergo est otiosus & quasi inutilis, qui hoc instituit. Argumentum est a conjugatis : At hoc tu probare non poteris , ideo argumentum tuum est falsum. Christus enim emphatice, jam jam moriturus, in extrema Coena cum conderet Testamentum, in quo singuli aperta solent adhibere verba, hæc cum præmeditata constantia instituit, dicens de pane, cuni eum porrigeret, accipite & comedite , hoc est corpus meum. Jam acceperunt & ederunt isti, & illa esca, annon ore corporis sumebatur? Et hoc quod porrigebat, an non ore sumebatur? Ideo hoc acceperunt & ederunt, quod Christus eis dedit, & ita hoc ore accepere, videlicet, Panem & vinum, atque corpus & sanguinem de quibus in textu dicitur.

MEPELENSIS. Non est utilis illa corporalis manducatio, nec potest fieri. Deinde, Paulus ait, 2. Cor. 5. Si cognovimus Christum secundum carnem, jam non cognovimus, ideo non ibi secundum carnem accipitur.

HAMELMANNUS. Si tantum spiritualem, & quæ fide est, manducationem voluisse Christus, certe non hoc Sacramentum, vel hanc externam actionem instituisset. At instituit hanc. Ergo non absque causa. Secundum humunum intellectum quidem fieri illa nequit perceptio. Adde , quod tuum argumentum ex Paulo desumptum, nonsit contra nos, neque nos dicimus, secundum carnem accipi corpus & sanguinem Christi in Coena, hoc est, carnaliter, & carnali more, vel a veteri Adamo. Novisti enim quid significet in Scripturis, vox, Caro. Ut : Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Item , Caro & sanguis non revelavit haec tibi, &c. Rom. 8. Matth. 16.

M E P -

* Über diese Einwürfe hat sich der Cantzler Halle sehr erboßt, und hielte er darvor, es solte der Superintendent solche Argumenta, und geistlose Dinge mit einem Stillschweigen beantworten; aber der Herr Superattendens sagte: Refutabo, dum refutare possum. MS.



MEPPELENSIS. *Si habetis Scripturam pro vobis, ego habeo quoque pro me.* *

HAMELMANNUS. Inspiciamus textum, ubi post hæc verba sic sequitur. Proinde, si quis est in Christo, noua creatura est, vetera præterierunt, & ecce nova omnia facta sunt. Ideo, caro & sanguis Adamicus non valeret in Christi cognitione, sed noua creatura, homo secundum Deum genitus. Et est fallacia, plus enim subsumitur in consequente, quam est in antecedente. Hic non negatur sacramentalis carnis Christi manducatio in Cœna, sed præposterum nostræ carnis studium, & non ad carnem Christi, sed ad homines carnales respicit textus: ideo non secundum carnem, sed fide debemus noscere Christum in verbo, juxta voluntatem ejus expressam.

MEPPELENSIS. *Iste locus est pro me, & illum non potestis mihi eripere, qui quando dicit, hoc est corpus, id est, significat, vult denotatum: Ut arca foederis dicitur Deus, Agnus est Pascha, Christus est lapis offensionis. Deinde, Christus habet corpus organicum nobis simile, excepto peccato.*

** Quæstor EBICHIUS; Profecto ille textus Pauli tibi & tuo proposito nihil suffragatur.

HAMELMANNUS. Ostende, quomodo id probabis? Ut arca foederis dicatur Deus. Agnus est Pascha Domini. Christus est lapis offensionis. Interea, quanquam de agno, vel de arca expresse ita nihil legerim in Scripturis, tamen, quod si hoc ita esset, quid quæsto hoc ad Eucharistiam? quia tunc arca improprie diceretur Deus, & agnus improprie transitus. Ergone propterea improprie *panis est corpus Christi?* Non sequitur. Christus est lapis offensionis qui-

E 2

dem,

* Nimirum, ut Diabolus pro se. Matth. 4. Apostolica allegabat Meppelensis, non Apostolice intellecta. MS.

** Erat ille ob eruditionem, & agendi prudentiam, illustri Comiti apprime charus. Und hat er manchen heimlichen Calvinisten aus dem Loch hervorgezogen. MS.



dem, verum hoc explicat Simeon, dicens, *positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicitur, ostendens, quatenus sit lapis offensionis.* Et sicut Petrus ait, *i. Pet. 2.* Accedentes ad Dominum, ut ad lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, apud Deum vero electum & preciosum, ut ipsi quoque, veluti vivi lapides, ædificemini domus spiritualis, sacerdotium Sanctorum, ad offerendum hostias acceptabiles Deo per Christum Jesum. Et consulatur totus locus, tunc apparebit, quomodo ibi Petrus in Metaphora maneat, & hoc explicet dilucide de hoc lapide. Ut enim nos sumus in ipso vivi lapides, domus spiritualis, talis & ille est lapis vivus. Vide ibidem, &c. Sed jam, quando Paulus explicat verba Christi de Cœna Dominicæ, fit omnibus perspicuum, quod verba Cœnæ nihil tale quid habeant, vel quod figuratum quid spirent, sed Paulus retinet verbum, EST, in sua significacione, ut quando dicit: Calix benedictionis, nonne est communio sanguinis Christi? Nonne panis fractus, est communio corporis Christi? Ubi verbum, EST retinetur in sua propria significacione, nec potest inverti. Quomodo igitur hic deberet aliter sumi & poni apud Evangelistas, quam ibi, quando de eadem materia agit Paulus?

TILINGIUS. Lucas, quando ait de poculo, non addit' EST, sed sic habet, *hoc poculum novum testamentum in meo sanguine.* Ideo ibi non potest figurate sumi EST, quia non ponitur, & si in ea voce sita fuisset interpretatio, non omisisset ibi Spiritus sanctus illam voculam. Quare aliis est istorum verborum sensus, quam tu affers.

HAMELMANNUS. Dicit de corpore organico, ideo ad istud modo respondendum est, cum hæc sit ejus altera vel tertia probatio.

MEPPELENSIS. *Articuli fidei hoc pacto labefactantur, quasi non vere ascenderit.*

Ti-



TILINGIUS. Ad quem articulum fidei, tu refers Eucharistiae Sacramentum?

MEPPELENSIS. *Ego habeo apertum pro me articulum, qui impedit, quo minus credam, hic esse, & dari Christi corpus, quia duo contraria sunt cælum & terra.*

HAMELMANNUS. Regnum Dei & mundus, prout mundus in Scripturis, sunt quidem sibi contraria, non quidem locorum separatione & distantia, sed contrariis actionibus, dominiis, & diverso fine, utriusque respectu. Et a terra quidem cœlum materiale longe differt, sed in illud, non tam abiit, quam in regnum spirituale, quia abiit ad Patrem, sed responde Domino Magistro Tilingio.

MEPPELENSIS. *Quorū opus est corporali sumptione? **

TILINGIUS. Si nescis, dicam, pertinet ad articulum de Ecclesia Catholica. Jam tu proba articulos fidei sibi contrarios. At non possunt esse sibi articuli fidei contrarii, *a scendo ad cælos, & credo Ecclesiam Catholicam, &c.* Ergo, a te citatus articulus nihil tibi suffragatur.

HAMELMANNUS. Is delabitur ad secundum responsum. Ant vero, Johannes, non censes in Christi carne & sanguine longe plures esse prærogativas, quam in ullius hominis, vel etiam alicuius creaturæ carne vel corpore? *Nonne ejus caro vivificat, Johan. 6. sanguis ejus mundat a peccato? Nonne ille est agnus Dei, tollens peccata mundi? I. Johan. 1. Nonne ille est via, ducens ad Patrem? Joh. 14.* Et hæc nulli alii, quam soli Christo homini competit. Interim habet corpus nobis per omnia simile, excepto peccato, quoad substantiam, non quoad majestatem & officium.

MEPPELENSIS. *Ego non possum aliter, sitis vos vestri, & ego ma-nebo*
E 3

* Cancellarius: *Jam audivisti, opus ea esse, ut per eam excitetur, confirmetur & augeatur spiritualis sumptus, quem in finem etiam sacramentalis propriæ instituta est. MS.*

*nebomeus, quod oro, * sed oro, cur tantopere urgetis Christi hominis præsentiam, contra humane nature veritatem, que est, in loco esse, cum nobis vehementer illustraret doctrinam de incarnatione contra Menno-nistas?*

HAMELMANNUS. Imo, si cogitur Christus ratione humanitatis esse, ex necessitate corporis Organici, in loco, tunc ratione eadem non potest nos, Christus Dominus & frater noster, respectu humanæ carnis exaudire, quia ex eadem ratione sequetur, quod propter eandem necessitatem, tam procul a nobis remotus Christus in carne, non possit nos exaudire, quia si est in coelo materiali, ut in loco, & illud est remotissimum a terra, non potest nos audire, quia procul se-juncti homines per distantiam remotam loci, non se mutuo exaudi-re possunt, &c. Et ita redibit in Ecclesiam *dubitatio Papistica*, qua-sitantum nos creaturæ a creatore, & peccatores a justo Deo in pre-cibus audiamur, & non a Domino & fratre nostro in carne.

TILINGIUS. Ideo urgemus realem præsentiam, quod illam verba institutionis exhibeant.

D. CANCELLARIUS. Satis est. Mox vocantur Domini PRÆ-SIDES, & SUPERATTENDENS cum reliquis Pastoribus præsentibus ad prandium, interea clam discedit MEPPELEN SIS, non revertens, prout ex mandato Præsidentium jussus erat redire. **

* Tilingius: *Sic manebis hereticus, si Tuus manebis. Vide, quid ores? Oro autem Deum, ne in hora mortis à Deo irato audias! sis tuus, & ego maneo meus.* MS.

** Tilingius: *Satis quidem esset, Domine Doctor, si modo conversus esset. Doleo Meppelen sis indolem, sed pertinaciam ejus deploro.* MS.

SEQVITUR
DISPUTATIO SECUNDA,

habita 4. Aprilis (qui fuit dies Ambrosii) anni ejusdem ibidem
ANNO M. D. LXXVI.

Cum in nova, & partim ex prioribus repetita argumenta, in scriptis contexta, duo Diaconi, & Belgæ, *Conradus Quantius*, & *Johannes Meppelensis*, per GERHARDUM HONNICHUM, Pastorem Jeveranum, offerri curassent Superattendanti HERMANNO HAMELMANNO, Theologiæ Licentiato, ex communi deliberatione remittitur ab iaclyto, & illustri Comite & Domino, Dn. JOHANNE, *Comite in Oldenburg & Delmenhorst*, *Domino in Jever*, ipse Jeveram, ut adhuc semel cum iisdem ageret, & ad argumenta in scriptis proposita ab ipsis, responderet præsens.

Ibi 4. April. obtestatur eos SUPERATTENDENS, *ut in timore Domini dignentur attendere, & percipere, quid ad ipsorum argumenta respondeat.*

Illis, quibus est vera religio & pietas cordi, considerandum erit, quod neque Augustino, neque ulli veterum Patrum in mentem venerit, adeo naturam & proprietates humani corporis attribuere Christi glorificato & ad dexteram majestatis Dei exaltato corpori, ut nihil amplius, quam simplex nudi aut meri hominis corpus valeat aut possit, ac proinde in Cœna neque adsit vere, nec adesse possit. Interim, illa unio personalis, postquam in Deum assumptus sit homo, facit, ut non verbalis, sed realis sit communicatio, ut etiam humanitati communicet divinitas, majestatem & inenarrabilem gloriam: Ideo recte vèteres dixerunt: *Quicquid convenit Filio Dei per naturam, hoc convenit Filio hominis per gratiam*, testibus Nysseno, Theodoreto, Cyrillo & aliis. Interim, maximum discrimen est inter essentiales proprietates, & accidentia. Substantiales proprietates in homine sunt anima, corpus, caro & ossa, sine quibus verus homo non subsistit. Accidentia sunt quantitas, qualitas, locus, & similia,



lia, ut corpus sit magnum vel parvum, crassum, album, nigrum, si in loco, sedeat, dormiat, edat, bibat, stet vel ambulet. Et diximus ex Augustino, omnia illa mutila & imperfecta, in altera vita deponi, & quod absolutum & perfectum erit, tum in nobis fieri incipiet, *i. Corintb. 13.* ut simus angelis similes. *Matth. 22.* Neque enim cogitandum erit, quod ita a terris in coelum ascenderit Christus, quasi ab uno loco in alium abierit, sed jam regnet in gloria Patris, & inhabitet lucem inaccessam, & nobis inenarrabilem, in qua Deus ipse, quem nemo vidit unquam, *i. Tim. 6.* habitat. Hoc est, quod in Psalmis dicitur, Gloria & honore coronasti eum, & constitueristi eum super opera manum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Item, Dominus collocavit eum a dextris suis. *Psal. 8. & 110.* Haec sane de omnipotentia Christi intelligenda sunt, quæ de dextera maiestatis explicat Paulus *Eph. 1. & 4. Hebr. 1.* Vadere se dicit ad Patrem, qui certe nullo loco circumscribi potest, & sicut Paulus dicit, Christum omnia implere, & ut ait Petrus, *i. Petr. 3.* Qui est ad dexteram Dei proiectus in coelum, ubi subjectos habet sibi angelos, & potestates & virtutes: Ideo, cum nesciamus statum & conditionem coelestium corporum, quid volumus temere Christi hominis gloriam & conditionem emetiri, ut temere *Beza*, & alii hodie faciunt? Recte ait Paulus, *2. Cor. 10.* Debemus captivare intellectum nostrum ad obsequium Christi. Si igitur omnia subjecit sub pedibus ejus, ita subjecti sunt humanitati Christi omnia, non quidem absenti, sed praesenti, ut pedibus ea quasi contingat. Et ipse *Beza* fatetur, quod omnia creata oculis suis Christus praesentia habeat, ideo dicitur, *Job. 3.* quod Pater dederit Filio omnia in manu: ita si omnia habet in manu, certe non absens, sed praesens habet. Sic alibi dicitur: *Dedit ei potestatem judicandi, quia Filius hominis est.* Sic apud *Danielem cap. 7.* dicitur, quod Filius hominis pervenerit ad antiquum dierum, qui dat ei potestatem, honorem & regnum, & ut omnes populi, tribus & linguae serviant ei. Sic ipse Christus hoc explicat, dicens: *Matth. 28.* Data est mihi *omnis potestas in cœlo & in terra.*



terra. Hinc ipse Paulus *Ephes. 1.* ait, quod exaltatus sit super omne, quod nominari & dici potest, & donatum ei nomen super omne nomen, *Phil. 2.* ut ita vocetur nomen Dei, *Luc. 1.* Sic ultra cœlos est exaltatus, & ultra omnem locum, quod nemo piorum potest negare. Ideo dicitur, *Luc. 1.* *Filius altissimi vocabitur*, videlicet ille, qui ex te nascitur. Hæc non sunt inania vocabula, & nomina titulotenus, vt ei nomen non tantum, sed res ipsa Deitatis sit communicata. Ita Christus accepit Spiritum S. non ad mensuram, *Job. 3.* sed ut ait Paulus. *Col. 2.* Omnes thesauri divinitatis habitant in eo, id est, tota Deitatis plenitudo σωματική corporaliter in eo, ita ut ejus caro sit ad plenum vivifica. Ideo ait CYRILLUS: Verbum humanitati coniunctum, totam in se ipsum ita reduxit, ut indigentia virtutis possit vivificare. Sic dicitur ejus infinitum imperium *Mich. 5.* Sic dicitur remittere peccata Filius hominis, *Mattb. 9.* Illa sunt opera infinitæ potentiarum. Sic in nomine Christi crucifixi fecere Apostoli miracula *Act. 3. & 4.* Jam quidem necesse est, ut sit inter Petrum & Christum differentia, cum etiam in Petro tota habitet divinitas, quia illa nusquam, nisi tota est, nam ut ait AUGUSTINUS *lib. 22. de civitate Dei cap. 21.* Totus est Deus in cœlo & in terra. Et CHRYSOSTOMUS *Tom. 5. homil. 5. in symb. Apost.* ait: Totus Deus in cœlo, totus Deus in terra, totus Deus in cordibus Sanctis, &c. Jam quidem Zwinglius, Beza, & alii dicunt, Personaliter esse unitam divinitatem humanitati in Christo, interim & in Petro est Deus, ut *Act. 17.* de omnibus dicitur, ratione communis creaturæ: Deinde, per Petrum facta sunt miracula, sed interim Christus in humanitate non minus, quam in divinitate adoratur, ideo differentia consideretur. ATHANASIUS *in lib. de Incarnat. Verbi*, dicit: Si adoras Deum hominem, eo, quod ibi inhabitet Verbum Dei, una opera adora quoque Sanctos ob Deum, in illis domicilium habentem. Ideo CYRILLUS ait, quod Christus Filius Dei humana sibi propria faciat. Quare hæc sit & maneat differentia, Petrum quidem in nomine Christi quædam potuisse, sed non omnia: Omnia autem & potuisse

tuisse, & posse etiamnum Filium Dei in carne: Etsi igitur tota Deitas in Petro quoque habitat, tamen non personaliter. Itaque hic considera, qui erectus est supra & ultra omnes creaturas, ad dextram divinæ majestatis, is quidem non desit esse homo, licet sedeat in dextera majestatis Dei. Quomodo hoc fiat, non intelligimus. Si igitur corpori Christi est divinum aliquid (ut certe non aliquid, sed totum divinum ei est communicatum) impartitum, cur igitur vellemus eum ad necessitatem hujus mundi astringere, videlicet, ad locum certum, nobis nimis incertum?

N U N C R E S P O N D E B I M U S ad argumenta CONRADI QVANTII.

QVANTIUS.

Naturale Christi corpus non est in terris, sed in cœlis, ad quos ascendit, ergo non dat suum corpus edendum in terris.

HAMELMANNUS. Non sequitur, ut quoque inde non sequitur, illud propterea esse in loco, quia probandum erit, cœlos, hoc est, regnum Dei esse locale & mundanum, & omnipotentiam Dei esse localem, finitam & circumscripdam.

QVANTIUS. Tres illi articuli fidei, quod ascenderit ad cœlos, sedeat ad dexteram Dei, & inde venturus sit ad judicandum, ostendunt, vos purgantia docere cum his articulis, cum dicitis, quod corpus Christi sit hic in Cœna corporaliter & substantialiter. *

HAMELMANNUS. Contrarium dixi esse verum, quia isti articuli eam nostram assertionem confirmant, nec quidem cœlum, in quo sit Christus secundum carnem, dicimus materialem locum, distinctum, & procul a terris remotum, ubi sint dimensiones & spacia corporalia in lata & corporali mansione, sed veram & coelestem gloriam,

* Cancellarius: *Imaginatur sibi Quantius, quod, quemadmodum dextra Meppeleensis in sedendo locum dicit, sic in divinis quoque se res habeat, cum meminiisse deberet, in humanis propterea inferri locum, quia ipsa hominis dextra locata est. MS.*



riam, pacem & gaudium absolutum. *Ascendit in cœlum*, id est, ut ipse Christus interpretatur, vadit ad Patrem, & consequitur cum carne eam gloriam, quam ante habuit. *Johan. 20. & 17.* ideo cœlum non intervallis & spatiis, sed majestate, gloria, gaudio & felicitate definitur in Scriptura. Item, Sedet ad eam dexteram majestatis Dei, quæ fuit, antequam ullus locus esset. Sicut quoque illa dextera, vel illa majestas, est in nullo loco, sic nec cœlum, in quo est Christus, certus physicus aliquis locus esse potest, cum Scriptura dicat, eum esse cœlis altiorem factum, penetrasse cœlos, & ultra omne, quod nominari potest, exaltatum, supra omnes coelos ascendisse, *Ephes. 1. & 4. Heb. 1.5. & 7.* Ut igitur ascensio ad coelum est profectio ad dexteram Dei Patris, sed dextera Dei non est in loco, ita nec corpus Christi ascendens in coelum, & sedens ad dexteram Dei, est in loco certo & physico. Imo propterea dicimus, Christum revera hoc præstare & dare posse, quod promisit in Coena, quia sedeat ad dexteram majestatis & omnipotentiæ Dei, ideo fatendum erit, ibi esse Christum cum corpore suo, ubi majestas, virtusque dexteræ Dei est, & sic pro modo dexteræ virtutis Dei, implet coelum & terram. Interim tres sunt PRÆSENTIÆ in Christi corpore, juxta Scripturam considerandæ: unus est *physicus*, quando hic videbatur, palpabatur, qualis fuit hic in terris modus conversandi: Illum modum præsentiae in sacra Coena non statuimus. Secundus modus est, qui est & erit in glorificatis cordibus, ut sint spiritualia, perfecta, integra, agilia, levia, & ut in ictu oculi sint, ubi velint: quale fuit Christi corpus a resurrectione, quod ex oculis discipulorum evanuit, per clausas januas intravit, in altum subito ascendit, &c. Tertius modus est *majestatis*, quo nullus sublimior & excelsior & præstantior est, vel esse potest. Juxta hunc modum, & humanitas assumpta in Deum, & super omnia exaltata ad dexteram majestatis Dei, & hoc modo Filius Mariae, coeli & terræ Dominus est, nomen super omne nomen, & omnium potestatem, quæ in coelo & in terra sunt, consecutus est homo Christus. Ideo CYRILLUS ait, *quod verbum communes faciat*

ciat tanquam cum carne sua divinae sue majestatis operationes, &c. Ita juxta hunc modum, dicimus esse Christi corpus in Coena & in Ecclesia sua. Adde, quod reditus ejus, non ex dicto & voce INDE, ita concludatur, quasi ante adventum ad judicium, non sit hic futurus, vel non adsit in terris, cum & Paulo hic in terris visus sit, *1. Cor. 15.* & ei astiterit *Act. 23.* in castris. Gloriosè vero redibit, ut dixit angelus. *

QUANTIUS. *Natura veri corporis hoc non patitur, quia verum corpus & organicum, finitum est, & loco continetur, Christi corpus est verum & tale, Ergo oportet esse in loco.*

HAMELMANNUS. Concedimus, contra naturam esse, ut unum, & purum ac simplex organicum ac finitum corpus, sit in pluribus locis, aut in diversis, uno ac eodem tempore: *Minor est probanda, quod tantummodo nudum & physicum sit corpus Christi.* Sed nos non dicimus naturali, sed divina & cœlesti virtute corpus Christi, ratione verbi, esse in Cœna. Est autem fallacia, quia corpus physicum, per se, extra personalem unionem, & extra dexteram majestatis Dei consideratum, non posse nisi in uno loco esse, fatemur. Verum, in persona Christi est corpus unitum divinitati, super omnia exaltatum, & ad dexteram majestatis Dei collocatum. Quod igitur non potest corpus Christi naturali & physica proprietate, id potest & præstat divina virtute, cum ea divina natura per hypostaticam unionem omnia communicata sint. Sed respondeo quoque per instantiam. Ex clauso sepulchro pertransiens resurrexit, per clausum Mariæ uterum nascitur, per parietem ad Apostolos ingreditur, teste Nysseno, Augustino, & aliis Patribus. Jam non minus abhorret a penetratione dimensionum natura, quam a multitudine locorum u-

nus

* Tilingius: *Et me quoque audias Conrade, Sepius à vobis audivi istam contingeniam, quasi Corporis Christi in Cœna presentia cum ascensione Christi pugnet. Falsum autem hoc est. Nam Christus prius instituit Cœnam, quam in cœlum ascenderet, atque adeo sic ascendit, ut Cœna nihil decederet. Ergo ascensio ex institutione Cœna est limitanda & explicanda, non invicem opponenda, ut tu facts.*



nus corporis eodem tempore. Nunc vero Christi corpus trajecit lapidem, & per januam clausam ingreditur ad discipulos : Ergo non valet vestrum argumentum. Sed audiamus de ea re Patrum dicta. GREGORIUS NYSENUS oratione 1. de Resurrectione Christi, ostendit, absque dolore peperisse Mariam Christum, & ejus Deiferam carnem esse: Item oratione 2. dicit, angelum in revolutione lapidis repperisse, Christum resurrexisse clauso sepulchro, sicut clavis quoque januis penetravit in domicilium ad discipulos. Videatur AMBROSIUS in 24. cap. Luc. CHRYSOSTOMUS Tom. 3. serm. 9. de resurrectione, & homilia 90. in Mattheum, & super Iohannem homil. 85. Tom. 3. Idem asserit ALIGUSTINUS in sermonibus de tempore serm. 159. sermone 138. & in lib. de agone Christiano, cap. 14. & in tractatu 121. super Iohannem. idem prolixe asserit Epistola 3. ad Volusianum, ubi querit, quomodo hoc fiat? & sic ait: Virtus divina per inviolatae matris virginea viscera, membra infantis deduxit, quæ postea per clausa ostia juvenis introduxit: Hic si ratio queritur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigari non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis. Et serm. citat. de temp. 159. Si per ostia clausa intravit, ubi est corporis pondus? Recedant paulisper pondus & moles: Ille fecit hoc, cui nihil impossibile, &c. Augustini verba retinet GREGORIUS, BEDA, THOMAS AQUINAS & BERNHARDUS, atque SEDULIUS. Et ipse THEODORETUS in 2. Dial. cum Eranistes ex eo, quod clavis januis ingredieretur Christus, quia hoc non erat humano corpori possibile, vult concludere, non fuisse verum Christi corpus, sic respondet: ingressus est clavis januis, quemadmodum egressus est ex utero, cum virginis claustra obsisterent, & sicut in mari ingressus est. Et CYRILLUS ait, lib. 12. sup. Iohann. cap. 53. Christus omnipotens sua rerum natura superata, clavis foribus cum corpore suo ingressus est. Nullus ergo querat: quomodo clavis januis corpus Domini penetraverit? cum intelligatur, non de homine nudo, ut nos sumus, sed de omnipotente Filio Dei hæc scribi,

bi, &c. Idem dicit de resurrectione Christi per clausum sepulchrum, & intrationem per clausas januas, THEOPHYLACTUS super Matb. in 28. & Job. 20. cap. & EUTHYMIUS super utrumque caput. THEODORETUS, citat quo que de eodem Amphilochium in dialogis. JUSTINUS in quæstionibus, quæstione 117. quando quærit, quomodo crassum corpus possit per clausas januas & sepulchrum transire, respondet: Sicut ambulavit in mari, & Petrum ambulatorem fecit, ita ex divina potentia clauso sepulchro resurrexit, & clausis januis ad discipulos intravit. Et EPIPHANIUS in *Ancorato*: venit ad discipulos, cum fores clausæ essent. Addatur quarto solutionis loco, non minus contra naturam est, ut corpus physicum sit in nullo loco, quam in pluribus locis, at corpus Christi ascendit super omnes cœlos, ut Scriptura dicit, & est collocatum in dextera maiestatis Dei, ut recte ex verbis 1. Cap. ad Hebr. concluderit CHRYSOSTOMUS, extra omnem locum Christi carnem esse, ideo est in nullo loco. ARISTOTELES disputat, cœlum juxta exteriorem suam superficiem, non ullo loco circumscriptum, & extra cœlum nullum esse locum.

QVANTIUS. Diversitas naturarum, & utriusque naturæ proprietates, sunt retinende in Christi persona. Jam proprietates humanæ naturæ, quas retinuit & ante & post mortem, sunt, esse in certo loco. Ideo adhuc retinuit.

HAMELMANNUS. In statu exinanitionis sededit, edit, bibit, dormivit, verberari, cædi, flagellari, crucifigi & mori voluit, Ergone adhuc in sua carne vult idem? Sic post resurrectionem, Oeconomiaæ causa, vel per dispensationem (sicut sancti Patres loquuntur) in gratiam Apostolorum edit, vulnera ostendit, vestitu usus est, ut ceu hortulanus, nunc & peregrinus quispiam appareret, ergone cicatrices retinet in gloriofo corpore, in coelo edit, & vestitu uititur? Non sequitur. Interim, non confunduntur naturæ, postquam homo Cbristus assumptus sit in Deum, & non Deus in hominem, in tempore humana natura cepert, divina ab æterno fuerit, humanæ naturæ omnia

com-



communicata sint a Deo, ut humana ab ea sustentetur, & non econtra: Divina natura sit ipsa dextera & omnipotentia Dei, in humana sit exaltatus super coelos, cum Deitas nequeat exaltari, sed sit super omnia. Vides igitur, immensam esse differentiam. Interim diximus, multa ab illo Oeconomiæ causa facta esse, cuius testem assero THEODORETUM, qui citat in 2. Dialog. Chrysostomum, sic dicentem: *Hæc de Christo humiliter dicta sunt & facta, non propter potentie imbecillitatem, sed propter varias & multiplices Oeconomie rationes, & post resurrectionem: cum videret diffidentem discipulum, non recusavit ipsi vulnera & clavorum fixuram ostendere, & manus cicatrices contumui subjacere, &c.* Eadem habent super illa Evangelistarum dicta Aysenus, Euthymius, Theophylactus ex Græcis, & etiam quidam ex Latinis.

QVANTIUS. Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem. Item: *Exivi a Patre, & veni in mundum, Relinquo mundum, & vado ad Patrem. Ideo, ubi est Christus corpore, ibi est palpabiliter & visibiliter, ut ait: Videte & palpate, quia spiritus nec carnem, nec ossa habent.**

HAMELMANNUS. Etsi corpus Christi esset visibile & palpabile, & ante resurrectionem & ascensionem, tamen inde non sequitur, quod ita semper maneat. Quis nostrum audet dicere de piorum glorificationis corporibus & spiritualibus, quando erunt similes Angelis, & spirituales habebunt proprietates, inter quas sunt etiam: non videri, non palpari, sursum moveri, non mori, immortalem esse, &c. Quod debeant semper in mole corporis esse, videri & palpari, cum nesciamus illam claritatem regni coelestis. Multo igitur minus possumus Christi gloriam, collocati ad dexteram maiestatis Dei, ultra omnes coelos emetiri? Quod vero Christi resuscitatum corpus, nunc hic, nunc illic, visum sit, & manibus attactum, non hoc, ut diximus, ob necessitatem, sed Oeconomiæ & dispensationis cau-

fa

**Invisibilitas, & impalpabilitas cum corpore gloriose non pugnat, quod tamen verum corpus est.* MS.



sa factum est. Et ipse hic fateris, quod vadat ad Patrem. Si vadit ad Patrem, ut Christus dicit, ergo non abiit ad locum. Relinquere mundum, exire e mundo, sunt phrases Scripturæ. Significat enim perversitatem, & impios in his terris, mundus, ut Johan. 1. *Mundus non cognovit eum.* 1. Corinth. 6. *Sancti mundum judicabunt.* Joh. 17. *Non pro mundo oro.* Joh. 16. *Mundus gaudebit, & vos plorabitis, Mundus me odio habet, Mundus, quod suum est, diligit.* Item, *Princeps hujus mundi venit, & non habet in me quequam.* Item, *confidite, ego vici mundum:* Sic pro potentia & opibus ponitur, 1. Johan. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea, que in mundo sunt.* Sic Paulus ait, *semundo crucifixum,* 1. Cor. 2. *Nos non spiritum hujus mundi accepimus,* &c. Joh. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo,* &c. Ideo isti loci nihil prote faciunt. Quod ad illud dictum Angeli, *Non est hic, sed videbitis eum in Galilaea,* &c. attinet, respondi ex Nysseno. Et Augustinus ait ad Dardanum: *Quemadmodum ire visus est in coelum, in eadem carnis forma atque substantia veniet.* Idem dicit Epist. 46. Sic veniet, quemadmodum eum vidistis euntem in coelum. Et alia solutio postea sequetur ex eodem Augustino. Et Vigilius, vester Patronus, ait, *Corporeus namque per nostri generis speciem intuentium oculis, idem Dominus apparebat, sicut rursum in eadem corporis forma consurgentium oculis in consummatione temporis monstrabit se.*

QUANTIUS. Stephanus & Paulus viderunt etiam post ascensionem in terris Christum in carne. Ergo semper est ejus corpus visibile.

HAMELMANNUS. Non sequitur, sed hoc potius sequitur, quia dexteram majestatis Dei non deseruit, nec coelum ipsum deserit, & tamen in terris hic ab ipsis duobus est visus. Ergo, aut extra locum est, aut potest uno tempore in duobus locis esse: Antea vero probasti, *eum in celo esse, & inde venturum.* Item, in primo arguento dixisti, *ejus corpus non esse in terris, & jam fateris: interris, in terris eum visum,* ideo es tibi contrarius. Et rursum haec Oeconomiae causa facta sunt, in gratiam utriusque, ideo, ut ait, *Oecumenius,* vidit eum



eum stantem ad dexteram majestatis Dei Stephanus , & non sedentem, videlicet, ut auxilium sibi paratum cognoscat, ut certatori auxiliatoris habitus & status promptitudinem magnam atque alacritatem adferat. Sic, teste eodem, excœcatur solus Paulus, & socii ejus non audiverunt vocem, cum ipso Saulo loquentis, ut ipse dicit cap.

22. Actorum.

QUANTIUS. *Augustinus tract. 50. in Johan.* loquitur de præsentia corporis, cum dicit: *Pauperes semper vobiscum, me non semper habebitis.** Nam secundum majestatem suam, secundum providentiam, secundum ineffabilem gratiam, impletur ab eo, quod dictum est: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi:* Secundum carnem autem, quam verbum assumpit, secundum id, quod de virginie natus est, secundum id, quod a Judæis comprehensus, quod ligno affixus, quod de cruce depositus, quod linteo involutus, quod in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me vobiscum, quare? quoniam conversatus est secundum corporis præsentiam, 40. diebus cum discipulis suis & eis deducentibus videndo, non sequendo ascendit in cœlum, & non est hic, ibi enim sedet ad dexteram Patris, & hic est, non enim recessit præsentia majestatis.

HAMELMANNUS. Nos etiam crassam ubiquitatem, vel extensionem corporis non asserimus, ideo libenter suscipimus dictum Augustini, ex 50. tractatu in Johannem, quod affers: *Quia non physico modo hoc impletur, Ego vobiscum usque ad consummationem seculi, sed secundum Christi majestatem, & præsentia majestatis, etiam in humana natura sua, non recessit a nobis, ut ibi dicitur.* Ideo, in toto illo tractatu, respondet ad quæstionem. *Quomodo absentem, & simul præsentem, aut agentem in cœlis teneamus, & addit, corpus quidem suum intulit COELO, majestatem non abstulit MUNDO.* Modo fide tenet Ecclesia Christum, & oculis non videt. Sic ait super Psal. 47. Tol-

G

litrur

* *Bene, bene, Domine Pastor, Christum non semper habebitis vobiscum, nimirum ea præsentia, qua habebitis pauperes. Sed in Cœna non dicitur esse secundum istam pauperum præsentiam. MS.*



Iitur quidem corpus ab oculis vestris, non separatur Deus a cordibus vestris, Videte (Explicat paraphrasí verba Angeli) ascendentem, credite in absentem, sperate in venientem, sed tamen per misericordiam occultam etiam sentite præsentem. Ille enim, qui ascendit in cœlum, ut tolleretur ab oculis vestris, promisit nobis, dicens: Ecce ego vobiscum sum, &c. Et tractatu 29. ait super eundem Jobannem, quod, licet corporali præsentia reliquerit discipulos, sit tamen cum omnibus suis futurus usque ad consummationem seculi, præsentia spirituali, hoc est, secundum majestatem.

Quod ad epistolam ad Dardanum attinet, quam nobis objicis, hic quoque ipse de sua ipsius assertione dubitat autor, sic in fine scribens: Quicquid est utiliter elaboratum in opere styli nostri, Deo gratias age. Si quæ vitia mea perspicis, ut charissimus amicus, ignosce eidem scilicet, dilectionis mihi optans medicinam, qua concedis & veniam, &c. Hæc certe non scripsisset, si de doctrina sua certus fuisset, ut quando ad Petrum de fide scribit, sic ait, *crede, & nullatenus dubita.* Deinde, loquitur de corporibus hujus mundi, quia addit, *Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, & non erit, ubi sint, &c.* Et quidem hoc in loco corpora non sunt, nisi qualitatibus contemprentur, quod competit corporibus hujus conditionis & vitæ. Cœterum, de corpore Christi non dicimus, quod sit calidum vel frigidum, humidum aut siccum, neque tamen ob id corpus non est, sicut nec nostra corpora facta immortalia & glorificata, corpora esse desintunt. Idem in Psalm. 30. serm. 3. super versum, *Abscondas nos: vi-lescat totum quicquid præter Deum est, quo tuetur nos in loco vitæ hujus, & ipse post vitam sit locus noster.* Plura tibi nuper ex Augustino proposui. Idem, in libro de fide, ad Petrum Diaconum cap. 2. Quibus verbis explicabitur illius carnis excellentia singularis, cui divina ex ipsa fui conceptione persona, cuius origo nativitatis insolita, quæ sic verbum caro factum est, ut una persona esset cum carne sua unigenitus ac sempiternus Deus ipsa suæ carnis conceptus conceptio-
ne, &c. Quomodo nos volumus ad humilem locum astringere
car-



carnem Filii Dei, cum ejus excellentiam non intelligamus nec explicare queamus? *Epistola 3. ad Volusianum* ait sic: Nomen humanitatis ab eo dignanter assumens, divinitatis ei largiter tribuens. Item: totum omnino hominem in melius mutandum, nullo modo mutata (Deitas) cooptavit. Item: Homo Deo accessit, non Deus a se recessit. Idem, *in serm. 8. de verbis Domini, qui inter sermones de tempore est 48. sermo.* Quid pertinet ad ipsius hominis susceptionem, tota gratia, singularis gratia, perfecta gratia, Et mox: Quanta ista gratia? Christus in cœlo & in terra, Christus apud Patrem, Christus in utero virginis, Christus apud inferos subveniens quibusdam, eo autem ipso die Christus in paradyso, cum latrone confidente. Idem, *serm. 3. de temp.* Implevit quidem Pater & Spiritus sanctus carnem Christi majestate, sed non susceptione. Et *serm. 30.* Non amisisse ait, quod erat, hominem quidem in se mutasse, non in hominem fuisse mutatum crede. Idem, *super Psal. 130.* Homo in illo (Christo) mutatus est, mutatus est homo in illo, ut melior fieret, quam erat, non ut ipsa substantia verbi converteretur. Item, *Tom. 6. contra Felician. cap. 10.* Glorificata est caro majestate. Et *cap. 11.* Novivimus glorificatam carnem majestate Deitatis. Idem, *lib. 3. de symb. cap. 8.* Totus Filius apud Patrem, totus in cœlo, totus in terra, totus in utero virginis, totus in cruce, totus in inferno, totus in paradyso, quando latronem introduxit. Non per diversa tempora, vel loca dicimus ubique totum, ut modo ibi totus sit, & alio tempore alibi totus, sed ut semper sit ubique totus. Idem, *in Psalm. 109.* Donavit, inquit Apostolus, ei nomen, quod est super omne nomen Christo, secundum hominem mortuo, Christo secundum carnem resurgentem, ascendi donavit nomen, quod super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu fleatur, coelestium, terrestrium, & inferorum. Ubi erit David, ut non ei Dominus sit? In cœlo sit, in terra sit, in inferno sit. Dominus ejus erit, qui est Dominus coelestium, terrestrium, & inferorum, &c. Vides ex his claris testimonijis, si ea in timore Dei expendamus, Augustinum non sta-

tuere, quod sit in certo cœli loco, aut ita in quadam loco esse Christum oporteat, ut quasi maiestate sua ineffabili utriusque naturæ non esse possit hic in terris. Quod vero ad veritatem corporis Christi attinet in Coena Dominica, dicit Epistola 118. & sermone de temp. 215. Ore sumi corpus Christi & sanguinem. Et, in sermone ad Neophytos, hoc dicit, sumi in pane, quod peperdit in cruce, hoc in calice, quod effusum est e latere Christi. Et lib. 9. Confessionum cap. 13. ait, in altari esse illam victimam, per quam deletum est chirographum, quod erat nobis contrarium. Et tractatu in Jobannem 28. ait: Ex Domini mensa corpus Domini sume. Et super Psalm. 119. In ipsa carne ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Et infinita dicta tibi proferre possem, cum contra tu, nunquam mihi ex Augustino probare possis, quod unquam dixerit, non esse corpus Christi in Coena, non dari, non porrigi ibi vere, aut ita esse in certo cœli loco, ut non possit esse in Coena, aut alibi esse & existere.

QUANTIUS. Vigilius testimonium adfert. *

HAMELMANNUS. Quod ad Vigilium attinet, quem contra nos profers, ingenue fatemur, quod ille dicat, *in coelo esse carnem Christi*: verum recentior est junior Augustinus, & vix dignus Martyris nomine. Nam, dum ille ex intempestivo zelo violenter idololatrarum simulachra frangeret, est ab illis occisus, cum satis ei fuisset, si contradixisset, ut Paulus, certans verbis contra ignotum Deum. Act. 17. Similiter illud in Episcopo Persiae Auda reprehendit THEODORETUS lib. 5. cap. 38. Historia Ecclesiastica dicens, Non oportuno zelo detruxit templum, Paulus reclamavit ignoto Deo, non destruxit statuas: Ideo sibi ipsi malum peperit Audas, non imitatus Apostolum. Deinde, ibi Eutychis, afferentis in Christo tantum unam naturam, & humanitatem esse in substantiam divinam quasi absorptam, opinionem refutat. Ideo ibi progrediens disputatione contra ipsum, ita quidem

* Qui Vigilium audit, Calvinum audire se putet, aut enim in Calvinio Vigilius revixit, aut Spiritus idem prius Vigilium, deinde Calvinum afflavit, MS.



dem distinguere conatur, ut tu adfers, utramque naturam, sed colore disputationis seducitur. Interim ipse ait lib. 3. Cum carne Christum aut cum corpore coelestia penetrasse, &c. Sic videtur sibi contrarius. Et lib. 2. ait: Quicquid est proprium verbi, esse ei commune cuin carne, &c. Deinde habet dicta admodum incommoda, & ut appareat, Scripturis contraria. *Per formam servi*, ait, *quam absulit a nobis in coelum, absens est nobis, per formam Dei praesens est nobis.* Jam nihil certius, quam Christum in resurrectione sua deposuisse formam servi, & imperato nomine & honore super omnia eminente, factum Dominum omnium. Hinc Cyprianus ait in sermone Paschali, *Angeli delectantur in eo, quod servi forma reversa sit in Dei formam, & exinanitio humilitatis ad depositae altitudinis redierit maiestatem.* Sic ait quoque inconvenienter Vigilius: *Quando in terra fuit, non erat utique in coelo, & nunc, quia in coelis est, non est utique in terra.* Certe, si Paulus, positus in mortali corpore, tamen raptus est in tertium coelum, & ibi audivit verba ineffabilia, quis negaret, tunc Christum, dum ageret in terris, in coelis non fuisse? dum ipse etiam Stephanus in hoc mortali corpore adhuc paulo ante mortem viderit gloriam Dei in coelis, & cœlos apertos, & Filium stantem ad dexteram Dei? Si igitur Stephanus vidi gloriam Dei in coelis, adhuc hærens in mortali corpore, quis hoc negaret de Christo? Et Nyssenus, in oratione de S. Stephano ait, eum oculis puris vidisse sibi portas coelestes apertas, & id, quod intra abdita apparebat, vidisse & divinam gloriam, tum gloriæ splendorem conspicatum esse. *Quis igitur hoc de Christo negaret, cum etiam ipse vita æternæ specimen Apostolis præberet in monte, quando ibi vox Patris audiretur, & immutatio quædam coelestis in eo consiperetur, qualis erat etiam in Helia & Moyse, Matth. 17. Marc. 9. & Luce 9.* *Quis igitur auderet cum Vigilio dicere, eum non in coelis fuisse, cum hic in terris esset?* Ita quoque locutus est Calvinista Hartenbergius, secutus Vigilium. Sed ipse Christus ait de se, *Johan. 3. Filius hominis, qui est in coelo.* Et hoc explicat Augustinus Tom. 10. serm. 14. de verbis Domini ajens: O

G 3

homo,



homo, noli, inquit Christus, separare, quem volo copulare. Parum est, quia Filius hominis descendit, Christus enim descendit idemque Filius hominis, qui Filius Dei est, sedet in coelis, qui ambulavit in terra, in coelo erat, quia ubique Christus, idemque Christus, & Filius Dei, & Filius hominis. Propter unitatem personæ in terra filius Dei, propter eandem unitatem personæ, probavimus filium hominis in coelo. Ex his verbis Domini, Filius, inquit, hominis, qui est in coelis. Propter unitatem personæ, nonne in terris constituto atque conspicuo, ait Petrus, Tu es Christus filius Dei vivi. Et paulo ante dixerat: Quis nostrum, qui parum advertemus, aut parum sapimus, non potius ita vellet distinguere, Filius Dei in coelo, & filius hominis in terra? Sed ne sic divideremus, & ita dividendo duas personas induceremus. Nemo ascendit, inquit, in coelum, nisi qui de coelo descendit filius hominis. Ergo filius hominis descendit de coelo, &c. Similia postea referemus ex Cyrillo. Sed redimus ad Vigilium. Idem Vigilius dicit, Christum minorem angelis, per naturam carnis suæ, quod de Christo in carne jam super omnia exaltato valde incommodo, improprie & impie dicitur, cum etiam eum in carne adorent angeli, ut hoc quoque cap. 2. ad Hebræos docet scriptura. Et super 2. cap. ad Hebr. testatur hoc Chrysostomus, dicens: Admirabile & stupore plenum est, carnem nostram rursum sedere, & adorari ab angelis & archangelis, & Cherubin & Seraphin. Idem Vigilius errorem Stanckari confirmat, dicens: Christum secundum carnem esse mediatorum, & non secundum deitatem, quod prolixius probat. Sed Theodoretus ait in 2. dial. Nomen intercessoris & divinitatem & humanitatem denotat, & intercessor dictus unione naturalium, divinitatis inquam & humanitatis est. Interim saepe ipse dicit in scripto suo, quod Christus abierit ad Patrem, quod in dextera magnificientie Dei sedeat secundum carnem, ut quasi sibi contrarius videatur.

QUANTIUS. Hoc verba expende. Cyrus lib. 6. in Joban. cap. 14. Etsi Dominus corporis sui presentiam, inquit, binc subduxerit, majestate tamen



tamen divinitatis semper adest. Idem lib. 9. cap. 21. Vario tempore una cum discipulis fore se Christus ait, non quia penitus ab eis recessurus erat, nobiscum enim semper est usque ad consummationem seculi, sed quia non erat, sicut prius cum eis convicturus. Prope enim jam tempus erat, ut etiam in caelos ad Patrem iret. Credere autem oportet fideles, quamvis a nobis corpore absit, virtute tamen omnia & nos gubernare, adestque semper ipsum nobis omnibus, qui cum diligunt. Idem lib. 11. cap. 21. habet.

HAMELMANNUS. Cyrilli verba nostram sententiam plane confirmant. Majestate enim divinitatis, qua etiam, ut ex Augustino audivimus, fuit ornata & glorificata caro Christi, adest nobis. Interim dicitur, corporis sui presentiam SUBDUXIT. Illud verbum subduxit ostendit, eum de visibili presentia dicere. Nec illud dictum: *Quamvis corpore absit a nobis, virtute tamen omnia & nos gubernari certum est*, nobis potest esse contrarium. Et idem in libro de vera fide cap. 3. Meminimus eum dicentem: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis*. Descendisse autem dicimus Filium hominis de coelo, per unitatem dispensatoriam verbo tribuente propriæ carni, gloriae suæ & divinæ majestatis claritudinem, &c. Hæc dicta pugnant cum opinione Vigilii, & faciunt cum Augustino. Ibidem scribit *Cyrillus*: Sua quidem ducit Deus verbum, ea, quæ sunt carnis, propria, quia ipsius est corpus, & non alterius, ita communes facit tanquam cum sua carne divinæ majestatis operaciones, ut posset etiam vivificare mortuos, & infirmos sanare. Ibidem cap. 11. Descendens ad nos Deus verbum in id se, quod non erat, immisit, ut & hominis natura id, quod non erat, fieret divinæ majestatis dignitatibus per adunationem nitescens, quæ sublevata magis est ultra naturam, &c. Ibidem: Semel factus juxta nos ascendisse dicitur, & cum carne in gloriam Deitatis. Et mox: Dominus enim omnium creditur, & cum carne &c. Et talia multa habet *Cyrillus*, quæ brevitatis causa omittimus. Præcedentia si expendamus, confirmabunt nostram sententiam. Idem in *Joh. lib. 4. cap. 13.* dicit,

Nos



Nos carnem illam Christi & gustare & manducare. Et lib. 10. cap. 13. An fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse, quæ cum in nobis fiat. Nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare, &c. Et mox. Unde considerandum est, non habitudine solum, quæ per caritatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam participatione naturali, &c. Hæc sunt clara & perspicua.

QUANTIUS. *Theodoreum adfert.* *

HAMELMANNUS. Theodoreti testimonia adfers, qui quidem in Dialogis videtur afferere circumscriptam manere, aut esse in Christo humanam naturam, sed propterea non leve certamen est inter ipsum & Cyrrillum coortum, ita ut hic anathematismos contra ipsum scriberet, quia videbatur gratificari *Johanni*, Episcopo Antiocheno Theodoreto: interim expresse dicit, explicans verba Pauli 1. Cor. 10. de reali communicatione corporis Christi. Qui sacra mysteria perceperimus, nonne ipsi Domino communicamus, cuius corpus & sanguinem esse dicimus, quandoquidem omnes unius panis sumus participes. Et mox: Quomodo fieri potest, ut Domino communicemus per pretiosum ejus corpus & sanguinem, & rursus dæmonibus per ejus, quod idolo est immolatum, nutrimentum, &c.? Idem in II. cap. I. Cor. ait: Non solum undecim Apostolis, sed etiam Judæ proditori, pretiosum corpus & sanguinem impertit. Et mox: Erit reus corporis & sanguinis, hoc est, quemadmodum ipsum Judas tradidit, ipsi autem insultarunt, & eum probris & conviciis affecerunt Judæi, ita etiam ignominia & dedecore afficiunt, qui sanctissimum ejus corpus immundis manibus accipiunt, & in impollutum ac incœstum os imminittunt, &c. Inter-

rim

*Tilingius: *Sæpius audivi, Domine Pastor, non audiendos esse Patres, cum Christum in verbo loquentem habemus, qui est ante omnes Patres. Hoc sane turpiter negligis. Christo sine Theodoreto credo, Theodoreto autem sine Christo non item. MS.*



rim ipse ait *super 1. cap. ad Hebr.* Ut Deus quidem, erat universorum Dominus, ut homo autem accepit gloriam, quam habuit, ut Deus. Hoc autem dixit in Evangelio: Pater, glorifica me gloria, quam habui apud te, antequam mundus esset. Idem dicit *super 2. cap. Philipp.* Accepit ut homo, quae habebat ut Deus. Et *super 2. Psal.* Ut Deus innatum habet regnum, ut homo decreto accipit. Item: Regnum habet ut Deus, & accepit ut homo. Et ibi locum Pauli *Philip. 2.* per totum, de humanitate intelligit & explicat, inter alia dicens; & Filii Dei nomen vel nuncupationem ut homo suscepit; ut homo igitur & hanc vocem (Filius meus es tu , videlicet , ut dicatur Filius Dei) recepit. *Et mox:* Cum Dominus sit natura, ut Deus etiam ut homo universorum accepit imperium. Et longe clarius *super Psal. 8.* haec ostendit, docens, humanam naturam in Christo eum accepisse honorem, ut ei omnia, tam visibilia, quam invisibilia creatas sibi subjecta habeat. Et *super Psal. 24.* Cum Deus verbum factus homo primitias humanitatis assumpsisset, sustulit eam in caelos, & collocavit in dextera maiestatis in excelsis , super omnem principatum & potestatem & dominationem , &c. Idem *super Psal. 110.* ait, Ut homo accepit, quod ut Deus habebat. Nunc pergimus ad dialogos. In *2. dialog.* cum vult orthodoxus probare, verum corpus habuisse Christum, postquam dixerit, accipiens symbolum, *Hoc est corpus meum*, non autem haec est Deitas mea, ait. Et cum *Eranistes* inferret, haec esse vera , mox iterum infert orthodoxus: si vera sunt, ergo Christus corpus habuit. Ex quibus apparet, quod Theodoretus crediderit, verum Christi corpus exhiberi, & esse in cena Domini, quia inde vult veritatem corporis humani in Christo probare, docens, non posse Christum nobis in coena promittere, & dare suum corpus, si verum corpus non haberet. At jam dat in coena, ergo verum corpus habet. Hoc est ejus argumentum. Sic in *2. Dial.* dicit aliquoties, Christi corpus, corpus quidem esse, sed divina gloria glorificatum, vel divina gloria impletum. Et mox deificatam esse carnem Christi, probat a simili, sicut ferrum igni conjunctum candens, ignitum-

que redditur, per totam ejus substantiam, & interim illa unio non mutat ferri naturam, licet per totum corpus procedat: ita dicamus & de hac unione, quod caro sit deifera, &c. Plura si opus sit, ex Theodoreti scriptis adferre possumus. Sic ibidem fatetur praesentiam corporis & sanguinis in coena. Quærit Eranistes: *Quid vocas dominum, quod offertur ante invocationem sacerdotis?* Orthodoxus: Id quod fit ex hujusmodi seminibus nutrimentum. Eranistes: Aliud autem signum quomodo nominas? Orthodoxus: Commune etiam hoc nomen, quod potius speciem signat. Eranistes: Post sanctificationem quomodo ea appellas? Orthodoxus: Corpus & sanguinem Christi. Eranistes: Credis te fieri participem corporis & sanguinis Christi? Orthodoxus: Ita credo, &c. Hæc sunt aperta & perspicua. Ideo, ut dixi, sic quoque in dialogis ait, ex Hilario: Nostrum est credere, illius est scire.

QUANTIUS. Expende hæc verba Fulgentii. *Beatus Fulgentius, Africarum Ecclesiarum Episcopus, ad regem Trasmundum, lib. 2. Joban. 3.* explicat illud Domini, nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit, Filius hominis, qui in cœlo est. Non hoc dixit Dominus, quia humana Christi substantia fuerit ubique diffusa, sed quoniam unus idemque Filius Dei, atque hominis filius, verus Deus ex Patre, sicut verus homo ex homine, licet secundum veram humanitatem suam localiter tunc esset in terra, secundum divinitatem tamen, que loco nullatenus continetur, cœlum totus impletret & terram. Dicimus proinde, Christum verum Deum & hominem, licet à nobis in cœlum sublatum, ad dexteram Patris residentem corporaliter in terris non esse, adesse tamen nihilominus sua Ecclesia, tanquam caput vitale corpori viventi, utpote in quo operatur vitam & salutem, &c. Igitur non physica, corporalis, sive carnalis, sed spiritualis in Cœna manducatio intelligitur. Probat hoc Chrysostomus, ubi in Joban. homilia 46. scribit. *Quid est (inquit) carnaliter intelligere simpliciter, ut res dicuntur, neque aliud quicquam intelligere, non enim ita judicanda sunt, que videntur, sed mysteria omnia interioribus oculis consideranda sunt.* Quid objicitur nobis omnipotentia Dei, Respondetur. Ex omnipotencia



tia Dei non colligi quidlibet: nam verbum Dei modum nobis omnipotentiae Dei ostendit, & ait: Omnia quæcunque voluit, fecit. Unde Tertullianus: erit aliquid & difficile Deo, id scilicet, quodcunque non fecerit, non quia non potuerit, sed quia noluerit.

HAMELMANNUS. Fulgentii verba, quæ adferuntur, nihil contra nos faciunt, nam illa concedimus; interim ille lib. 3. ad *Tra simundum Regem* ait: Verum Deum & plenum, veris divinisque virtutibus in homine clarere assumpto, & verum plenumque Deum pleno & vero homini unitum. Item: Nec homo Christus a sua divinitate, nec homo Christus a sua potestate humanitate disiungi, &c. Cingiani vero & Calvinistæ eum divellunt. Lib. 1. ad *Momium* ait: Christi corpus nobis offerri in coena, quod mox probat ex dicto Pauli 1. Cor. 10. Calix cui benedicimus. Idem dicit contra Cinglianos, in *serm. de laudibus Marie ex partu Salvatoris*, absque dolore peperisse Mariam, quod, illæsa & integra ea existente, natus sit ineffabiliter Christus. De omnipotentia Dei alibi diximus.

QUANTIUS. *Chrysostomus in Matth. 26. cap. homil. 83. figura, symbolum ac signum hoc sacrificium est.* *

HAMELMANNUS. Chrysostomi vel centum locos de veritate corporis & sanguinis Christi in cœna adferre possum, & is argumentum de localitate vestra plane rejicit. Si placet, adferemus quædam. *Bernardus* (quem quoque contra nos, *Conrade*, adfers) totus est noster, ut alibi probatum est, & jam probari potest. Idem & de *Isidorro* dicatur.

QUANTIUS. *Signa appellantur rerum signatarum nominibus, ut Christus dicitur agnus, Pastor, ostium, angularis lapis.*

H 2

HA-

* Tilingus: Patres non sunt contra filios, sed nobiscum faciunt. Signa & figuræ dicunt esse in sacramento eucharistico, sed hoc ita explicitant, figuram & signum esse id, quod exterius sentitur, panem & vinum; veritatem vero, & rem internam, corpus & sanguinem Jesu Christi. Habent ergo, *Conrade*, mentem sanam in corpore fano. Si tu aliter illorum verba explices, injurius es in Patrum manes. MS.

HAMELMANNUS. Ad hæc respondimus nuper, & non opus est illa rōpetere , nisi id placet vobis.

QUANTIUS. Tertullianus, Nazianzenus, Augustinus, aliique , vocant signum & figuram corporis, ideo non est ibi verum corpus, quia omnium Sacramentorum natura est, ut in iis nomen rei signatae, signo attribuatur. Sed hic corpus pro signo corporis sumitur.

HAMELMANNUS. Major negatur, quæ quidem non potest probari, quod omnium Sacramentorum natura sit talis, &c. Adeo, ut si in circumcisione valeret Major, sequeretur, eam vel justitiam , vel gratiam Dei oportere vocari, quia, teste Paulo Rom. 4. Signum suit justitiae gratuitæ Abrahæ dandæ, & agnum paschalem oporteret vocari Christum, quem significabat. Sed, ut hoc nullibi legitur, ita est absurdum. Patres, vero isti omnes, veritatem corporis Christi in coena suis testimoniis demonstrant, quod si opus sit, probari jam hoc potest. At Augustinus ad Adamantium ait: Caro ejus est, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus , & sanguis ejus, quem sub vini specie & sapore potamus. Item: Corpus Christi & veritas & figura est. Veritas quidem, in quantum virtute Spiritus sancti ex substantia panis & vini corpus efficitur; Figura vero illud est, quod exterioribus sensibus subiacet. Sic quidem in simili argu-
mento Theodoretum citatis, quando ait, Christum permutasce nomina, & corpori quidem tribuisse nomen symboli, symbolo vero nomen corporis, interim committitis fallaciam divisionis: omittuntur enim verba ibidem apud Theodoretum adjuncta in dialogis, perinde cum pane esse corpus Christi in coena, sicut cum divinitate est humanitas in ipsius persona. Ea ratione vere adest Christi corpus in Sacramento non minus, quam panis. Ad Bertrandum quum recentior sit, & videatur Berengarii præceptor, nolumus respondere: nec opus tibi fuisset, Conrade, illius testimonium adferre. *

QUAN-

* Bertramus, Cancellarius dicebat, nihil potest Christo prescribere. Allegem
& testimonium respiciendum est, non ad Bertrandum. MS.



QUANTIUS. Ambrosius, in lib. de his, qui initiantur mysteriis, sic scribit: In illo sacramento Christus est, qui corpus Christi est, non ergo corporalis esca, sed spiritualis, unde & Apostolus de typo ejus ait: Quia patres nostri escam spiritualem manducaverunt, & potum spiritualem biberunt, corpus enim Dei spirituale, est corpus Christi, corpus est divini spiritus. Quod etiam Eusebius Emessenus confirmat de conf. dist. 2. Et rursum scribit S. Ambrosius, in epist. priora ad Cor. super his verbis: mortem Domini annunciantem, &c. dicit, Quia enim morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo, & potando carnem & sanguinem, que pro nobis oblati sunt, significamus. Adde, quod Cyprianus in sermone de coena Domini ait: Sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat divinitas, ita Sacramento visibili ineffabiliter divina se infundit gratia. Ineffabiliter dicit, igitur non corporaliter, quia omne corporale est effabile. Huic consentit Cyprianus, cum ait, Nec carnalis sensus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat.

HAMELMANNUS. Ambrosius citatur, sed ibi per verbum significamus, nihil aliud intelligit Ambrosius, quam exprimimus. Verum, is & Cyprianus, toti sunt nostri, confitentes eram, in Cœna Dominica, corporis præsentiam, & quidem, majestatem carnis Christi, ipsi non minus, quam alii Patres confirmant & comprobant. AMBROSIUS, in libro de resurrectione: Non est despicienda carnis humanæ natura, quæ in sanctæ Trinitatis substantiam ac consortium per Dominum Christum ingredi meruit, &c. Quomodo igitur divisa a divinitate in loco caro Christi esset? CYPRIANUS ait, de ascensione Domini: Elevatis manibus hereditatem eis benedictionem relinquens, non manufacto vehiculo, nec auxiliaribus carpentis enectus Christus, sed naturæ divinæ propria usus virtute carnem cœlo intulit, & corpus glorificatum Patris conspectibus præsentavit. Item, mox scribit: humilitatem carnis nostræ throno judiciario honoratam, paternæ placuisse altitudini. &c. Et super symbolum sic scribit: ut corpus non interrenis, (nota qualis sit locus,) sed in coelestibus, & in Patris dextra collocaret. Item, Ambrosius, in lib. de incarn. verbi sacra, Unigenitus

nitus Filius si quæritur, in sinu Patris reperitur. Quod ad Sacramentum Eucharistiae attinet, uterque aperte nobiscum sentit. Ambrosius in lib. de sacris mysteriis, ait: Hoc, quod accipimus corpus, ex virginе est. Et lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Didicisti, quia quod accipis, corpus Christi est. Et antea cap. 2. ait, Corpus Christi in altari est. Et Cyprianus, in serm. de Coena Dom. ait, Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, & sicut in persona Christi, &c. hæc tua ibi sequuntur verba. Ideo tu, & alii istum textum pervertunt. Et in lib. 3. epist. cap. 2. ait: Quos excitamus & adhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquimus, sed protectione corporis & sanguinis Christi munimus. Et dicit sermones. de lapsis: Sanguinem Christi in os infundi, &c. Sic ex Oratione de Paschate. Nazianzenus male citatur, quia ibi ait: Ede ibi accedens audacter corpus Domini. Et super 1. Cor. 11. Ambrosius ait: Hoc debet apud se quilibet judicare, quia Dominus est, cuius sanguinem in mysterio potamus. Et nota sunt verba apud Theodoretum in historia Ecclesiæ, quomodo, alloquens Theodosium Imperatorem, dicat: Ore sumi sanguinem Christi.

QUANTIUS. Theophylacti testimonium attulit.

HAMELMANNUS. Theophylactum aduers, aliquid differentem de 6. capite Johannis, quod non pertinet ad cœnam, sed tantum ad illam Christi sumptionem & esum, qui est solius fidei. Sed is, & super Mattheum & Marcum ait: Dominum dixisse, Non, hoc est symbolum, sed Hoc est corpus meum, quod sumitis. Et super Paulum ait, id esse & sumi in calice, quod fluxit de latere Christi.

QUANTIUS. Ecclesiæ ignota est oralis sumptio.

HAMELMANNUS. Quod aduers, quasi in antiquissima Ecclesia nemō dixerit, veram carnem & sanguinem Christi sumi in Eucharistia, falsum est. Imo, cum veteres asseruerint, ore sumi corpus Christi, & esse in Cœna, & nunquam legerim contrarium apud ullum Patrem, qui dicat, non dari ibi corpus Christi, non esse & porrigi ibi illud, vel



vel etiam ita esse corpus Christi in certo coeli loco , ut non porrigitur in Cœna , ego acquiesco in vera sententia , & aliis suasor sum , ut idem faciant , quia cuperem probari ex patribus , num tale aliquid dicant : nam fateor ingenue , me nihil istorum observasse in eruditâ vetustate . *

QUANTIUS. *Rem esse fidei, & non oris, dico.*

HAMELMANNUS. Si in fide situs est usus Sacramenti , tantum ex eo , quod veteres dicant , *Crede & manducasti* , tunc aboleatur externa actio , quam Christus instituit ? Ibi loquitur Pater de Caper-naitica corporis Christi sumptione , super Psal. 85. &c.

QUANTIUS. *Adfert argumentum de natura Sacramentorum.*

HAMELMANNUS. Simile est hoc tuum argumentum . Sacramentum est testimonium divinæ gratiæ ; testimonia non sunt hoc ipsum , de quo testantur , ergo nec hic panis est hoc ipsum , quod dicitur : Hoc isti est simile . *Sacramentum est signum rei sacrae , ergo non res ipsa , ita panis est Sacramentum corporis Domini.* Respondeo : Externa elementa sunt testimonia in oculos incurrentia , testantia juxta verba institutionis , non de absente gratia , sed præsenti , & de re sacra præsente . Deinde , tota actio significat integrum Sacramentum , & duo in se comprehendit Sacramentum . Sed respondeo per instantiam : *Arcia foederis erat signum* , vel testimonium gratiæ divinæ , aut signum sacræ rei , ergone gratia divina , aut ipse Dominus , non adfuit arcæ ? Ideo rectius argumentari posses : *Sacmenta sunt signa rei sacrae , aut testimonia divinae gratiae.* Tota actio , descripta in cœna Dominicâ , que constat distributione ac sumptione panis ac corporis vini ac sanguinis , est Sacramentum . Igitur , tota actio est testimonium divinae gratiae , & signum divinae rei , vel memoriale : & sic argumentum tuum contra te , pro nobis est . Signa fuere etiam duplia , alia enim

signi-

* Cancellarius : *Tu ipse hesterno die Domino Superattendanti laudem & testimonium eruditioris Patristice attribuisti , cur ergo eruditio Viro non creditur ? cur Patres inique allegas ? cur illos contra Christum nobis objiciis ? cur cœlum cum terra confundis ? Demiror tuam , Conrade , audaciam . MS.*



significativa, ut vellus Gideonis, & multi typi in veteri testamento; alia *exhibitiva*, ut columba fuit signum exhibitivum Spiritus sancti. *

QUANTIUS. *Paulus ait, Panis quem frangimus, est communicatio corporis Christi, & poculum, cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi.* Ergo, non est panis *essentialie corpus Christi*, nam alicujus rei communicatio, non est res ipsa? **

HAMELMANNUS. Domino JAPETO, Pastoriⁱ in Schortensen, explicuimus, singularem esse propositionem, ut dicatur, *Panis est corpus*, sicut est & illa, *verbum caro factum est*, & quidem contra te, & Meppelensem, deduxi ex his Pauli verbis obtineri, cum in eadem causa Paulus agat, *Est manere in sua significatione propria, & sic probari essentialiem præsentiam ex eo.* Sed, si communicatio alicujus rei non est res ipsa, tamen communicatio rei præsentis est, ut quando dicitur de *Kovaria* Spiritus sancti, Evangelii, & eleemosynarum in Scripturis, num tunc dicitur de absente Spiritu sancto, Evangelio & eleemosynis? Minime, hoc enim fieri nequit. Et hic super illa verba dicit Theodoretus: *Quia sacra mysteria percipimus, nonne ipso Domino communicamus, cuius corpus & sanguinem esse dicimus?*

QUANTIUS. *Dissentient Evangelistæ in verbis, Ergo absque tropo non possunt intelligi.*

HAMELMANNUS. Etsi sit variatio quædam, tamen idem manet sensus, ut etiam in aliis locis Scripturæ. Lucas cum Paulo clarius expli-

* Tilingus: *Si haec observes, Conrade, facilis est responsio ad loca Patrum, quando sacramenta signa vocant.* MS.

** Cancellarius: *Aut non intelligis ob inscitiam, aut non vis intelligere ob pertinaciam, sensum verborum. Dicit Apostolus, quod panis benedictus sit Kovaria corporis Christi. Si hoc est verum, ut certe est, tunc panis benedictus est organon, seu medium, per quod corpus Domini communicatur, & cum quo corpus Domini mystice est unitum. Quando ergo in actione Cœna manduco panem benedictum, manduco corpus Domini. Manducatio enim sacramentalis respondet unioni sacramentali.* MS.



explicuit, quæ Matthæus & Marcus habent, addens calicem novum Testamentum esse, (ut isti dicunt sanguis novi Testamenti) non ratione suæ vel materiæ vel formæ, sed sanguinis Christi, qui in eo continetur, id est, propter sanguinem. Ut enim veteres dicebant in antiquo testamento: Hic sanguis testamenti, &c. ita vere aderat sanguis iis, quibus aspersio fiebat. Quod vero alii censem, ibi tropuminesse, dum putant, continens pro contento sumi: Respondeamus, communem loquendi formam esse; Adferatur vinum, id est, non sine cantharo, aut continente. Item, Damibi vitrum, hoc est, non vacuum, sed & contentum. In Paulo & Luca non est tropica communicatio, quia in tropicis prædicationibus vel subjectum, vel prædicatum, aut etiam interdum utrumque, a propria & nativa sententia ac significatione in aliam immutatur. Id ipsum hic non fit, quia poculum aut calix retinet suam propriam ac nativam significationem, sic & testamentum. Per præpositionem IN, tantum ratio datur, cur poculum dicatur novum Testamentum. Ideo non ibi tropica locutio est.

QUANTIUS. *Philippus in multis privatis scriptis ad Bullingerum, ad Electorem Palatinum, ad Joannem Baptistam Hencelium, ad Cratensem, ad Christophorum Statmionem &c. facit nobiscum: Ergo vos erratis?*

HAMELMANNUS. Extant Philippi publica scripta, quibus se refert semper ad Augustanam confessionem, Smalcaldicos articulos, & adducit testimonia Patrum pro vera doctrina, nec quicquam aliud in editis ab eo scriptis reperitur, sicut & Cinglii localitatem refutat, ut videre licet in epistolis ad Fridericum Myconium, ad Martinum Carolitum, ad Jacobum Probst, ad Oecolampodium, ad Bernhardum Rothmannum, &c. Sic Philippum Philippo opponimus, qui in epistolis ad prædictos datis, damnat sententiam Cinglii, &c. Si privatim quid aliud fecit, ipse responderit, & rationem Christo & Ecclesiæ reddiderit. Nos privata imbecillitas non movet, ad mutationem veritatis immotæ.

I

QUAN-



QUANTIUS. *Qui fidem non habent, Christo non communicant, ideo nec corpus & sanguinem edunt vel bibunt impii.*

HAMELMANNUS. Antecedens non est perfectum: addendum fuisse, non vere Christo communicant, quia Judas fuit in externa communione cum Christo aliquandiu, ut Saul in Ecclesia Israelitica, Sed tale est: Quotquod baptizantur, in mortem Christi baptizantur, hoc est, Christo communicant. At Simon Magus est baptizatus vere, ergo etiam Christo communicavit. Hoc fecit ad tempus, & postea defecit. Impii non communicant Christo ad salutem, sicut Evangelium, quod audiunt, odoripsis ad mortem est. Sed paucis post prolixius respondebo. Interim, quod dicis, incredulos & impios in Christo manere, non admittimus. *

QUANTIUS. *Quotquot edunt corpus Domini & sanguinem bibunt, manent in Christo, Job. 6. & Christus in eis, quia illi habent vitam eternam. At in Christo non sunt, nec manent impii, Ergo carnem Christi non edunt, & sanguinem ejus non bibunt.*

HAMELMANNUS. Simile est priori. Deinde, non recte assumitur. Major dicit de *spirituali esu*, *Conclusio de sacramentali*, ideo sunt quatuor termini. Est fallacia secundum quid. Loquitur Major de *spirituali sumptione*, non de *sacramentali*, & in conclusione plus assumitur, quam in præmissis. Impii spiritualiter non edunt nec bibunt. Loquitur enim Christus ibi de *spirituali esu* & potu, qui est fidei, non de *sacramentali*. Ideo posset argumentum concedi. Interim Paulus dicit de iis, qui *sacramentaliter edunt & portant*, quod quidam sibi *judicium edant & bibant*. Sed tale tuum. ARGUMENTUM est: *Caro Christi est cibus vita spiritualis. Impii sunt destituti vita spirituali, ergo carnem Christi non edunt.* Hic RESPON-

* Tilingius: *Contra scripturam loquitur Conradus, & in faciem Apostolo contradicit. Hie enim clare affirmat, fieri impios reos corporis & sanguinis Christi, non simpliciter male tractando, sed manducando, additique, fieri eos reos non simpliciter Christi, sed corporis & sanguinis. Ergo non partem accipiunt sacramenti, sed integrum sacramentum. MS.*



SPONDEO, sic debet assumptio fieri: Impii destituti cibo vita spiritualis, verum ita est Minor falsa. Non enim destituuntur impii cibi spiritualis sumptione, sed vita spirituali. Ulterque enim sumit carnem Christi, quæ, ut istis est ad vitam, ita impiis ad damnationem, sicut credentibus Evangelium est odor vitae ad vitam, sic incredulis odor mortis ad mortem, licet uterque audiat.

QUANTIUS. Duo contraria non sunt in uno subjecto, Diabolus habitat in impiis, & eos captivos dicit: Si igitur Christi corpus acciperent in Sacramento, essent duo contraria in eis, ideo non accipiunt Christi corpus.

HAMELMANNUS. Est argumentum, habens non suos legitimos terminos. Ita Major est in Theologia falsa, ut in homine caro & spiritus, peccatum & justitia, mors & vita, novus & vetus homo, sunt contraria. Sic etiam interdum in Philosophia, ut in Aethiope album & nigrum, in homine anima immortalis, & corpus mortale sunt. Nec Minor recte assunitur, quod simili modo fuerit Christus & Belial in impiis. Licet enim in Deo vivant impi, tamen & organa diaboli sunt, quoad peccatum, defectionem & mundum; etiamsi quoad substantiam vitae, sint organa Christi, quia vita est ab illo. Deinde isti corpus sumunt ad judicium, ut increduli audiunt verbum Dei ad judicium. Ideo, valde insulse adfertur, quasi posset esse inde participatio aliqua inter duo contraria, in eodem existentia subjecto.

QUANTIUS. Inter Christum & Belial nulla est communio. Impii sunt filii Belial, ergo impii non edunt carnem Christi.

HAMELMANNUS. Plus sumitur in conclusione, quam fuit in præmissis. Illud enim tantum sequitur, Ergo impii non habent communionem cum Christo. Deinde, est fallacia æquivocationis in voce COMMUNIONIS, quæ duplex, spiritualis & corporalis, externa &

I 2 interna

* Tilingius: Accipiunt quidem impii vivificum cibum, sed non vivificat eos ob incredulitatem. Male ergo concludis, indignos vivifico cibo, si illud acciperent, vivificari. MS.



interna est. Et externa, & corporalis est impiis communis, secundum Paulum, qui dicit etiam indignos comedere corpus Domini, quia istius rei sunt. *Spiritualis & interna Christi communio, ad solos pertinet credentes.*

QUANTIUS. *Nemo potest bibere calicem dæmoniorum, & sanguinem Christi. Impii bibunt sanguinem dæmoniorum, ergo impii non bibunt sanguinem Christi.*

HAMELMANNUS. Est fallacia secundum quid. Major loquitur de salutari sanguinis Christi communione, quæ non tribuitur iis, qui ex calice dæmoniorum bibunt. Verum, si conclusio intelligatur de salutari usu sanguinis Christi, qui est spiritualis, tunc concedimus argumentum. Si vero addatur in conclusione, etiam eos non ad judicium edere, tunc plus subsumitur, quam est in præmissis, & prorsus falsum est argumentum.

QUANTIUS. *Augustinus ait, Apostolos manduasse panem DOMINI, Judam vero panem DOMINI contra Dominum.*

HAMELMANNUS. In eo loco, ex tractatu in Job. 59. nullam facit Augustinus differentiam inter Sacramentum, quod Judas, & inter Sacramentum, quod Apostoli in prima coena sumpsero, sed facit inter vivificante vel spiritualem esum, atque eum usum, qui cedit ad judicium. Apostoli ederunt panem Dominum, id est, in eum crediderunt, quia panem vivum sumsero, descendente de celo. Judas vero panem Domini, hoc est, sacramentalem, videlicet, in quo etiam corpus Christi est juxta institutionem Sacramenti, sed contra Dominum, id est, ad judicium. Alibi, in multis locis nostram Augustinus confirmat sententiam, ut in tract. 7. in Epist. Joban. & contra Donatistas post collationem cap. 20. in lib. contra Fulgent. & tract. 50. super Joban. ait, De uno pane & Petrus & Judas accepit, & tamen quæ pars fidei cum infidei? Petrus enim accepit ad vitam, Judas ad mortem. Et in epist. 162. ad Glorium: Tolerat Dominus Judam, diabolum, furem, venditorem suum, sinit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles norunt pretium suum. Et super Psalm. 10.

Quid



Quid vobis fecit Christus, qui traditorem suum tanta patientia pertulit, ut ei primam Eucharistiam, confectam manibus suis, & ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis, traderet? Talia multa & apud reliquos Patres, Chrysostomum, Cyprianum & alios reperiuntur.

QUANTIUS. Exorcismus, & aliae ceremoniae olen Papismum, quia sunt sine mandato Christi, ideo iste usurpande non sunt. *

HAMELMANNUS. Ad hoc argumentum est antea responsum Quicquid suis syllabis non extat in Scripturis ita expressum, hoc, inquit, olet Papismum. Mulieres debere communione Eucharistiæ uti, illis syllabis non extat ita scriptum, ergo est Papismus, &c. Sed jam satis tibi, CONRADE, ad argumenta est responsum.

HAMELMANNI RESPONSIO

Ad scripta argumenta
JOHANNIS MEPPELENSIS.

MEPPELENSIS. Verba institutionis ad fidem refero.

HAMELMANNUS. Hoc potest concedi ita, ut etiam Christi institutionem non ad nostram fidelitatem, vel infidelitatem astringamus, quia modus præsentia ex verbis Christi & Apostoli percipitur, sed in fide & spiritu, in fide videlicet, quatenus fides est ex auditu, auditus per verbum Dei, sicut omnia fidei debent esse analoga. In spiritu, hoc est, juxta Spiritus sancti autoritatem, qui juxta Petrum & Paulum locutus est in scripturis sanctis.

MEPPELENSIS. Per spiritum Domini, unimur mensæ Domini accubantes.

I 3

HA-

* Cancellarius: Male argumentaris, Conrade, ab exorcismo Papistico ad Lutheranum. Quid ad nos Exorciste Papistarum? Nos adhibemus Exorcismum, ut picturam tyrannidis Diaboli & efficacia baptismatis. Esto, quod talis ritus non sit à Christo mandatus, ostende autem, quod sit prohibitus, si non est prohibitus, ergo est res Adiaphora, & testimonium libertatis Oldenburgie. MS.



HAMELMANNUS. Ergo non per Sacramentum? Ideo, ut antea dictum est, inter sacramentalem conjunctionem, & spiritualem, est distinguendum.

MEPELENSIS. *Caro Christi non est hic nunc in terris. Ergo nec in coena.*

HAMELMANNUS. Hoc antea est explicatum in Vigilio, & aliis, & expressa Scripturæ dicta contradicunt, ut diximus.

MEPELENSIS. *Si est ibi substantialis communicatio corporis Christi, est Capernaitica & animalis.*

HAMELMANNUS. Nego consequentiam. Capernaitica & animalis est, quæ tangitur, videtur, digeritur, degluditur. At hæc est insensibilis communicatio, juxta verbum Sacralis, & realis Christi communicatio ratione institutionis. Sed hoc est tuum forte argumentum: Si Christi corpus substantialiter in Coena exhibetur, sensibus externis apprehendi potest, ut palpabatur & videbatur etiam post resurrectionem. At hoc non potest fieri, ergo non est in Coena. Respondeo per instantiam. Corpus Christi etiam post resurrectionem aliquando comedit, licet nullo cibo indigeret, interim inde non sequitur, quod semper comedat. Sic non nudus sed vestitus apparuit, ergone jam utitur ueste in coelo? Deinde, est fallacia causæ, quia si semel atque iterum visibilis & palpabilis in glorioso suo corpore apparuit, num igitur semper? Non sequitur, quia accepit spirituales proprietates, inter quas sunt immortale, gloriosum, tendens sursum, non videri, non palpari, sic evanuit ex oculis discipulorum.

MEPELENSIS. *Multa dicit de spirituali mandatione ex 6. cap. Johan.*

HAMELMANNUS. Illa omnia non spectant ad Sacramentum Eucharistiae sed ad spiritualem, quæ est tantum fidei, & non sacramentalis, mandationem.*

MEP-
* Tilingius: *Considera textum, Domine Johannes. Manducatio carnis Chri-
stii*



MEPPELENSIS. *Ego doctrinam de orali mandatione Eucharistie,
vel potius Christi corporis, rejicio. Secundo, Mandationem corporis
Christi in impiis damno. Tertio, aliquot constitutiones de ritibus repu-
dio. Vos eam doctrinam urgetis, quæ nec fide, nec spiritu consistit, ut est
de oralimandatione, ergo male facitis, quia inde nihil fructus acce-
dit.*

HAMELMANNUS. Tertullianus & Irenæus, cum viderent Mar-
cionem & Valentinianos dicere, animam tantum mundari per Chri-
stum, & participem fore vitæ æternæ, illi contra argumentantur ex
usu Eucharistie certificari, quod etiam corpora nostra percipientia
Christi corpus, vere in Christo habeant remissionem peccatorum &
resurgent. Tu vero plane excludere videris corpus a spiritu, quasi
corpus non sit hic capax Spiritus sancti. Sed, si sumus templo Spiritus
sancti, & caro mortificatur, ut Scriptura dicit, per spiritum, cur non
habitaret Spiritus sanctus in corpore?

MEPPELENSIS. *Omnia habemus ex spirituali mandatione perfe-
ctius, quam ex externa. Ergo, est inutilis externa & oralis perceptio cor-
poris Christi.*

HAMELMANNUS. Negatur consequentia. Auditu cordis me-
lius percipimus Evangelii doctrinam, quam externa aure, ergo illud
ex externa aure non audimus? Nisi igitur illa media, quæ sunt Evan-
gelium & Sacra menta, excludere velis tua voce SPIRITUS, cum
Schwyverackfeldio hic quiesce. *

MEP-

*sti apud Johannem, fieri nequit ad judicium. Nemo enim credere potest ad
judicium. At in cena, ut contra Quantum, Belgam, evictum est, mandu-
cant increduli ad judicium. Ergo. MS.*

* Tilingius: *Audi, Meppelenensis, quid Apostolus dicat. Afferit, panem, seu ex-
ternum Symbolum, esse communionem corporis Christi. Ergo, non soli fidei
id est acceptum ferendum. Porro ait, panem esse communionem corporis
Christi. Ergo, non tantum beneficiorum corporis Christi. Tandem, distin-
cte nominat corpus & sanguinem. Ergo, non intelligit participationem fidei.
Nam fides uno actu totum apprendit Christum. MS.*



MEPPELENSIS. *Membra in Ecclesia non corporaliter, sed spiritualiter Christo conjunguntur. Ergo, per spiritum, & non sumptione corporali conjungimur Christo.*

HAMELMANNUS. Hoc de spirituali conjunctione, quæ est fidei, non de sacramentali, & externo usu & perceptione intelligimus. Judas audivit Christi verba, aliis retulit, & miracula fecit, & tamen spiritualiter non erat Christo conjunctus.

MEPPELENSIS. *Articulos fidei hæc doctrina obscurat, imo etiam impugnat, ergo non est vera.*

HAMELMANNUS. Et illustrat & confirmat hæc doctrina nostros articulos fidei, quod antea probavimus. Probes tu, illud cœlum certū & externum locum esse, a terris ita separatum, & aliis dimensionibus distinctum, ut in terris Christus, qui in cœlum ascendit, esse non possit. Sed quæso, ubi Scriptura de tali cœlo loquitur, in quod Christus ascenderit? Contra, Scriptura dicit, Christum carne cœlis altiorem factum, ultra cœlos elevatum ad dextram majestatis Dei. Quid vero sit dextra Dei, abunde explicuimus. Quid autem sit supra cœlos exaltari, discitur ex his scripturæ phrasibus, ut *Psal. 57. Exaltare super cœlos Deus, Et Psal. 8. Gloria ejus super cœlos. Et Jobus ait cap. 11. & 22. Excelsior cœlis Dominus.* Ideo dicit CHRYSOSTOMUS super Ephes. serm. II. *Ascendit super omnes cœlos, ultra quos nibil est aliud, hoc est, potentie & dominationis.* Et PRIMASIUS super 7. cap. ad Hebr. ait in verba illa, *Excelsior cœlis factus est, quando super omnes cœlos, & super omnes ordines coelestium spirituum elevatus est ad confessum paternæ majestatis, ubi nunc sedet in plenitudine honoris & gloriæ, &c.* Probes tu, corporalem dimensionem, & localem esse mansionem coeli, in quo Christus homo separatus a λόγῳ qui est in sancta Trinitate, hæreat & manere cogatur. Ascendit in cœlum ad dexteram Dei, hoc est, translatus est in coelestem gloriam, ad majestatis & omnipotentiae divinæ honorem assumptus, ut jam omnia implete. *Eph. 4.* Hæc ita, ut in articulis fidei traduntur, aut tu proba dexteram Dei, quæ fuit, antequam



quam ullus locus esset, esse externum locum, vel circumscriptum spacium, in quod Christi caro sit recepta. Ideo, contra te sic concludo: *Ascensio ad cælum est profectio ad gloriam Patris, & ejus solum, Jam dextera Patris & solum ejus, non est certus locus, nec in certo loco. Ergo, corpus Christi, quod ascendit in cælum ad dexteram Dei, est in loco.* Ita ascensio, nec lessio dexteræ Dei, ex articulis fidei nostram doctrinam infringit, sed confirmat. Deinde, nec reditus ad judicium infringit, quia is ita non potest, nec debet intelligi, quasi redire in terram non posset, sicut captivi perpetuo sedent vel harent, donec dimittantur. Jam sedet quidem Christus ad dexteram Dei perpetuo, ergone ita externo modo haret, ut hic non sit? Sed hic est dextera maiestatis Dei, ubi cœna peragitur, cur igitur non Christi caro sedens in dextera gloriae Dei adesse posset? Et antea probavimus, Stephano & Paulo aliquoties apparuisse, ut & aliis, hic in terris. Et ita redibit, ut vidistis eum, quod ex Patribus solvi, videlicet solenniter.

M E P P E L E N S I S. *Unus est immensus, nullum est secundarium immensum.*

H A M E L M A N N U S. Per se nullum est secundarium: Interim, ut solus Deus vivificat, peccata remittit, exuscitat mortuos, & est omnipotens, ita propter personalem unionem, & realem communicationem, etiam Christo in carne hæc communicata sunt, imo ipsi Apostoli talia multa præstitere. Ideo hæc suo modo intelligenda sunt, ut dicunt Patres, *Filiū Dei hoc habere ex natura, quod Filius hominis ex gratia.*

M E P P E L E N S I S. *Marcioniticum, quod dicitis, phantasticum corpus, hoc est, supernaturale exhiberi, ergo male.*

H A M E L M A N N U S. Non sequitur, nostra corpora fore phantastica, cum sint supernaturalia futura. De vero corpore humano loquimur, non de phantastico.

M E P P E L E N S I S. *Stabilit papisticum idolum, & artolatriam. Ergo est abolenda vestra doctrina.*

HAMELMANNUS. Ostendit verum usum sacramenti ex institutio-
ne. Deinde, propter abusum non tollitur res ipsa. Neque nos
docemus, substantiam panis & vini annihilari, vel ita converti in cor-
pus & sanguinem, ut solæ species & accidentia maneant, ut Papistæ
dicunt, sed mysticam & sacramentalem unionem esse, panis & cor-
poris, vini & sanguinis, quæ quidem durat in usu & actione Sacra-
menti: ideo, nihil Papistici dogmatis traditur a nobis. Pontificii
adorant panem, id extra mandatum fit Dei, ex propria superstitione,
ideo hæc sola, non autem realis præsentia, est reprobanda. Nec se-
quitur: ubicumque est Christus præsens, ibi adorari statim id, in quo
est, debere. Est enim in sanctis & piis præsens, quia ipsius tempa-
sunt, ergone Sanctos adoramus? Deinde, a nostris, non ad hostias,
vel ad elementa dirigitur oratio, sed ad Christum, qui invocatur pro
salutari corporis sui usu, ad Accendentium fructum & salutem.

MEPPELENSIS. *Si oralis fit manducatio, fit separatio Filii Dei & ho-
minis. At, in eternum conjuncta sunt: ergo non vera est illa mandu-
catio.*

HAMELMANNUS. Necesse est, ut Majorem probes, quia falsa est
propositio. Vos autem se jungitis duas naturas; afferentes Christi
carnem in certo cœli loco esse, & λόγον cum Deo super omnia ubi-
que. Ideo, non posse esse in coena corpus Domini. Nos vero con-
tra, deferimus Christo honorem, cum promiserit, se daturum in Cœ-
na suum corpus, & sedeat in dextera majestatis suæ, quod possit id
præstare juxta promissum, propterea, quod inseparabilis sit utrius-
que naturæ conjunctio, & quod homo assumptus sit in Deum.

MEPPELENSIS. *Sed sicut visibiles aures, verbum in impiis percipiunt
visibile & vocale, ad suam damnationem, ita quoque visibile verbum,
hoc est, Panem & vinum Domini percipiunt ad judicium, ut sit eis odor ad
mortem.*

HAMELMANNUS. Concedo totum argumentum: percipiunt
visibile & vocale verbum impii externis auribus, & tamen verum &
salutare per se: idem & de corpore Domini dicamus.

MEP-



MEPPLENSIS. *Ritus a Christo comprobati, sunt retinendi: exorcismus ab eo non est institutus, ergo non est retinendus.*

HAMELMANNUS. Respondi antea, & negatur consequentia: quia, quicquid est fundatum in sacris literis, id retineri debet. Exorcismus habet fundamentum in Scripturis, ergo non debet rejici.

ARGUMENTA CINGLIANA, ex secundo scripto

JOH. MEPELENSIS, ubi sic ait:

Non est nudum signum in Coena, sed efficitur ibi nobilius quoadam corpus, ut videlicet nos Christi membra & unum corpus siamus, & ita quidem Christum in Coena esse dicimus.

HAMELMANNUS. In secundo usū, de quo ait Paulus, quod multi unus panis & unum corpus siamus, hoc concedimus. Si vero Christus non adest a Coena, ergo etiam non aliter adest, quam se patet fecit. Jam tradit, se uno corpore adfuturum, ergo adest.

MEPELENSIS. Non auferimus alimentum vite a Coena Domini, videlicet carnem & sanguinem Christi, ut sint animo pabula. Ergo ibi corpus non pascitur.

HAMELMANNUS. Negatur consequentia. Etsi evangelium sit cibus animæ, quo pascatur, tamen etiam corpus aure auditur, sicut & aliæ multæ promissiones Dei, quæ sunt dona Dei, & corpore accipiuntur, ut valetudo, panis quotidianus, divitiae, bona. Si tantum populus Dei fide, & non corpore, accipiunt Sacra menta, cur igitur corpore circumcisio nem olim accepere, & hodie Baptismum?

MEPELENSIS. Excitat fidem, ergo non adest corpus, quod est in cœlo, ut hic non sit, licet divinitas hic sit.

HAMELMANNUS. Quicquid fidem excitat, non est præsens. Multæ promissiones excitant fidem: ergo non sunt præsentes nobis in Evangelio. Spiritus sanctus excitat fidem, ergo non præsens est?

Et dixi jam multoties; *sessionem Christi hominis, non esse localem in caelo, sed ad dexteram Dei,* ut dixerim, qui ex stirpe Davidis citabantur ad Domitianum Imperatorem, quando interrogabantur de Christo: quodnam ejus regnum esset, & quando, & quo loco existeret (notetur hoc in interrogatione, quo loco existeret, quia humana ratio in homine & sua existentia, vel in suo esse, querit locum) illud, respondebant: non mundanum & terrestre esse, sed cœleste & angelicum, quod ipsa seculi consummatione declarandum foret, quando Dominus cum gloria & maiestate e caelo descendens, de vivis & mortuis esset sententiam dicturus, &c. Vide Eusebii *bistoriam, lib. 3. hist. Eccles. cap. 15.* qui hoc ex Egesippo recitat. Vide etiam Nicephorum Callistum, *lib. 3. cap. 10. hist. Eccles.* Nos vero hic consideramus responsionem commodam ad interrogationem: quo in loco, & quando esset futurum regnum Christi, quod respondeant, dicendo: hoc non mundanum vel terrestre, hoc est, tempore & loco esse subiectum, ut sunt hujus mundi regna & reges, sed angelicum & cœleste, id est, quod super et nostrum intellectum, & revelari debeat adhuc in consummatione seculi. Si non est declaratum, cur igitur tu vis hoc tua imaginatione indagare & explicare?

MEPPELENSIS. *Dissidium est de presentia modo, non de praesentia ipsa.* Ergo omittatur disputatio ista de oralie mundicatione.

HAMELMANNUS. Non aliter Christus vult adesse, quam se patefecit. Ideo, qui Christiani sumus, ut nuper de Basilio diximus, *non patimur nobis vel syllabam eripi ex apertis Christi testimoniosis, si vel animam millies effundere deberemus, postquam sic Deus præceperit, & Christus ipsa sit veritas.*

MEPPELENSIS. *Sic est panis corpus Christi, ut corporaliter sumatur, tunc in os stomachi transmittitur.* Sed nos non dicimus, Panem esse corpus Domini, quasi in eum honorem sit elementum erectum, ideo sequuntur absurdia.

HAMELMANNUS. Nos non dicimus, transubstantiari panem, sed sacramentaliter uniri corpori, juxta institutionem, quoad usum.

In-



Interim, nos non dicimus in os stomachi trajici corpus Domini, hoc enim pacto Capernaitico more sumeretur, hoc est, dentibus conteretur, & in frustra dilaniaretur. Nos contra, sacramentaliter ore quidem sumi corpus Christi, &, juxta verba institutionis, comedimus, sed tamen sine sensu & consequentibus physicis actionibus, idque fieri mirabiliter, fatemur. Neque hic dicere poteris, omne, quod per os sumitur, vadit in stomachum & in secessum, quia respondeo: Cum Christus in glorificato corpore, cuius natura non patitur, ut edat & bibat, ederit: dic mihi, an hoc in stomachum, & ita per secessum, ab eo discesserit? Hic si haeresas, & in altero haerebis. Nec est opus ita argumentari: *Omne quod ore sumitur, est cibus ventris. Sed corpus Christi non est cibus ventris: Ergo non ore sumitur.* Major non habet sufficientem connexionem, ideo est fallacia causæ, quia non docetur, esse carnalem ac transitorium, aut oralem cibum, sed sacramentalem. Nam quicquid masticatur dentibus, in ventrem transmittitur ad alendam carnem, & ossa in homine. Sacramentalis sumptio sit ore, videlicet, ut corpus ore sumatur juxta verba institutionis, sine consequentibus physicis actionibus, motibus atque transmutationibus, quod ex eo ostenditur, cum Christus de pane dixisset: *Hoc est corpus meum, accipite, edite, quatenus comedi velit hoc, quod porrigitur.* Unde vetus dictum: sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille, nec sumptus absumentur.

MEPPELENSIS. Ciceroniani erubescunt aliquid dicere, quod non sit à Cicerone profectum: *& vos Christiani dicicis, quod à Christo non est profectum,* videlicet: *IN pane corpus esse, vel SUB pane, aut CUM pane corpus Christi sumi, &c.* Ergo male facitis. *

K 3

HA-

* Tilingius: *Quantum ego intelligo, vi Vocabulorum, In, Cum, & Sub, corpus Christi cum pane, in pane aut sub pane esse præsens: nihil aliud est, quam præsente pane benedicto, & accidente usu eucharistico, simul etiam corpus Christi, modo tamen inenarrabili, præsens reddi communicantibus, ut uno actu manducandi, simul cum pane, licet insensibiliter, vere tamen manducetur corpus Christi. MS.*



HAMELMANNUS. Nos nihil loquimur, nisi quod Christus locutus sit. Lucas cum Paulo habet, *Calix novum testamentum in meo sanguine*, & utitur uterque voce IN, quia, ut ad declarationem maiorem in Nicena Synodo excogitata est vox Homousios olim, cum in Scripturis fundata sit, ita & a nostris hæc voces excogitatæ sunt, propter vitandam transubstantiationem, & Cinglili opinionem refutandam. Et Patres his vocibus usi sunt. IN. Augustinus ait, Hoc sumitur in pane, quod peperdit in cruce, &c. Et Chrysostomus ait, Hoc quod est IN calice, ex latere ejus fluxit. cap. 10. prioris Epist. ad Cor. Et Cyprianus ait, *Sanguis ejus videri non potest, quo redempti & vivicati sumus IN calice.* Epiphanius: *Cibus quidem panis, sed IN pane est efficacia ad vivificationem.* Theophylactus: *IN carne & sanguine Christi nihil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipit, sed vivificatricem substantiam atque salutarem IN pane & vino, &c.* SUB. In sententiis Prospieri, ait Augustinus, sanguinem Christi SUB vini specie potamus. Cyprianus de Cœna Domini, Panem Angelorum SUB Sacramento manducamus hic in terris. Et Hilarius ait: Naturam carnis suæ ad naturam æternitatis, SUB Sacramento nobis communicandæ carnis admiscerit: & iterum, Nos vere SUB mysterio carnem corporis ejus accipimus. CUM. Chrysostomus ait: CUM calice inenarrabilia Dei beneficia alimus, cap. 10. Ep. ad Cor. Et talis est forma: ut dicitur apud nos, affer vinum, id est, Vinum in cantharo, vel cum cantharo, ita quoque dicitur, cum, vel in pane corpus sumi, & in calice, aut cum calice sanguinem, ut in forma columbae apparet Spiritus S. vel descendit. Ut utriusque sic opinio, tam Papistarum, quam Cinglili refutetur. Sic veteres locuti sunt, sic & nos loquimur. Sed si hic dicas: ergo τὸ ἄγρων non in propria significatione manet, sed figuram admittit? Respondeo, ut sunt diversa, vinum & cantharus, & tamen est vinum in demonstratione aperta, & eadem utriusque significatio: Ita panis in Sacramento non tantum pistorum panem, sed adjunctum corpus quoque, propter evidenter demonstrationem, a Christo factam, exhibet.



hibet. Ratio: Quia semper duæ res in his de Eucharistia myste-
riis, teste Irenæo & Justino adsunt. Quatenus igitur panis habet rem
adjunctam, totum in illa Cœna cibum exhibet, ut etiæ dicatur, *Pa-
nem esse corpus, & corpus cum pane sumi.* Sivero per panem in actio-
ne Eucharistæ solum elementum, & pistorum panem respicimus,
remoto verbo, tunc videtur aliquid figuratum habere, ut, aut
synecdochice, aut sacramentaliter explicetur, hoc est, ut sit ibi sa-
cramentalis prædicatio, quod de elemento id dicatur, quod ei sacra-
mentaliter est adjunctum. Et supra diximus, similem suo modo es-
se propositionem, Homo est Deus, &c. ut veteres dixerent.*

MEPPELENSIS. Edere carnem Christi, & credere, sunt synonyma:
ita etiam fides & manducatio carnis Christi erunt synonyma, ideo, non nisi
fide, caro Christi sumitur.

HAMELMANNUS. Syllogismus habet quatuor terminos. In ma-
jori edere carnem Christi, sumitur pro spirituali esu tantum, at in
Minori pro sacramentali. Sed, juxta tuum argumentum sequeretur
hoc potius, si verus esset syllogismus, ut aboleretur esus sacramenta-
lis: quo tendunt argumenta vestra.

MEPPELENSIS. Omnes promissiones fide accipiuntur. Hic est pro-
missio. Ergo fide accipiuntur verba Cœna.

HAMELMANNUS. Antea est ad hoc responsum: Sunt promissio-
nes Dei corporales, quæ corpore accipiuntur, & promissiones Evan-
gelii aure externa percipiuntur. Interim, promissio non est pro-
prie causa efficiens hujus actionis, sed Christus, eam instituens.

Dein-

* Tilingius. Ex his, que dicit Dominus Compater meus, innotescit, magnam esse
differentiam inter vestram, & nostram propositionem. Quando vos dicitis,
panem esse corpus Christi, intelligitis verba de signo, aut significacione corpo-
ris Christi, aut, quod panis sit medium, quo virtus & efficacia corporis Christi
nobis exhibetur. Nos vero, propositionem ita explicamus, ut corpus Christi
cum pane sit realiter praesens, & sacramentaliter unitum. Sicut ergo, pro-
pter personalem unionem naturarum in Christo, haec prædicatio personalis
vera est: Deus est homo; ita, propter unionem sacramentalem, de pane eu-
charistico similem in modum recte dicitur, quod sit corpus Christi. MS.



Deinde, causæ & efficiens & finalis, vel effectus, non semper similitudine correspondent.

MEPPELENSIS. Cyprianus & Augustinus prohibent dentem acui, & ventrem preparari: ergo ibi non est corpus Christi.

HAMELMANNUS. Non sequitur, quia illi de Capernaitica, non de sacramentali sumptione carnis Christi loquuntur.

MEPPELENSIS. Quod editur a nobis corporaliter, non diu bærere potest. Corpus Christi juxta vos corporaliter editur. Ergo non diu apud nos bæreret.

HAMELMANNUS. Sunt in eodem quatuor termini, & est amphibologia in voce corporaliter, quia in Majori dicitur de physico & Capernaitico esu, in Minoru corporaliter denotat rem ipsam, quæ veraciter cum signo sumitur, quod opponit imaginario, falso, absenti, &c.

MEPPELENSIS. Quod ingreditur in os, id & in alvum & secessum transit.

HAMELMANNUS. Ad hoc responsum est. Capernaitice enim loqueris recte, secundum Sadduceos & Epicuræos: Christiane autem non item.

MEPPELENSIS. Manducatio, quæ facit hominem meliorem, & extra controversiam, est omnium optima, & in primis urgenda. Spiritualis est talis. Ergo illa, & per consequens non corporalis, urgeatur.

HAMELMANNUS. Ideo sacramentalis, quæ est etiam corporalis, aboleatur, ut Christi institutio sit frustranea. Sed, per instantiam respondeo. Si, tempore Arii, fides, quæ erat extra controversiam, & quæ simplicissima fuit, debebat propter varias controversias vivandas suscipi, melius fuisset dicere: credo in Deum, ut sic disputacionem de filii persona omitteremus: & similia multa possumus proferre.

MEPPELENSIS. Manducatio corporalis nihil differt à Capernaitica.*

HA-

* Tilingius. Erras, & tota via erras, quod corporalem manducationem & Capernaiticam, pro synonymis habeas. Illa enim denotat manducationem

cum



HAMELMANNUS. Proba, quia sacramentalis, & Capernaitica, longe differunt.

MEPELENSIS. Patres absque Capernaitica mandatione salvati sunt, ergo & nos absque corporali salvamur mandatione corporis Christi.

HAMELMANNUS. Negatur consequentia: de alia enim mandatione antecedens, & de alia, videlicet sacramentali, conclusio loquitur. In veteri Testamento sua habuere Sacraenta, pro capti istius Testamenti & populi, eaque alia & propria a Moysi instituta vel descripta. Sic in novo Testamento Christiani, nova & propria, atque adeo sua a veteribus distincta habent Sacraenta, a Christo accepta.

MEPELENSIS: Paulus vocat carnem Christi, 1. Cor. 10. escam spiritualem, ergo est etiam nobis cibus spiritualis.

HAMELMANNUS. Negatur consequentia, si maxime hoc ita es-
set: At Paulus ibi non appellat carnem Christi spiritualem esum.

MEPELENSIS. Caro Christi vocatur cibus, non naturalis, sed spiritualis. Ergo non est corporalis sumptio.

HAMELMANNUS. Consequentia negatur rursum, sed spiritualis potest etiam dici sacramentalis, videlicet ratione verbi, quod est fructus & efficacia spiritus.

MEPELENSIS. Circumcisio externa, incurrebat in sensu, & sentiebatur, at interna fide apprehendebatur: Ergo ita est Cœna Dominica su-
menda.

HAMELMANNUS. Circumcisio erat Sacramentum vulnerans, & affligens homines, ergo talis est Cœna Dominica?

L

MEP-

cum connotato organo oris, estq; idem, quod manducatio organo oris peracta, sive peragenda, sive cibus, in quem fertur, & mandationis modus physicus seu naturalis & sensibilis; sive supernaturalis & insensibilis sit. Hec vero importat preterea objectum, sive cibum, ut & modum manducandi physicum, sive naturalem & sensibilem, estque idem, quod manducatio cibi physici sive naturalis, ore corporis naturali, & sensibili modo peracta aut peragenda.
MS.



MEPPELENSIS. *Manducationem carnis Christi ratio non percipit; sed mens fidelis: Ergo in sacramento ore non sumitur corpus.*

HAMELMANNUS. Ratio mysterium & actionem circumcisionis, (quæ propterea apud gentes ridebatur,) non satis intellexit. Ergone corpore non debebat assumi?

MEPPELENSIS. *Si est modus ineffabilis, ergo non est realis & substancialis.*

HAMELMANNUS. Præsentia Spiritus sancti in Sanctorum cordibus, est ineffabilis: Ergo non substancialiter adest? Deinde, si redigatur informam syllogismi, Major est falsa: Quicquid ineffabiliter adest, id non adest corporaliter, quia apud Deum est possibile omne verbum, & quia Christus hoc verum edi a nobis corpus, quod pendit in cruce, præcipit, ergo is modum præsentiae realis & corporalis nobis incognitum, potest invenire. Et vox *Ineffabilis*, sumitur hic pro eo, quod ratione non percipitur. Paulus fuit in tertio cœlo, & ineffabilia verba audivit, ergo non aliqua verba substancialia audivit? Non sequitur. Ineffabili modo adest promissio Evangelii in concionibus sacris. Ergo non est realis, vel externo modo non accipitur? Non sequitur.

J O H . M E P P E L E N S I S
de ubiquitate,
DUBIA ET ARGUMENTA.

MEPPELENSIS. *Aliqui ubiquitatem volunt esse fundamentum præsentiae Christi in Cœna, quod minime est concedendum.*

HAMELMANNUS. Non asserimus crassam & extensam corporis Christi per omnia ubiquitatem, sed tres antea posui modos loquendi de corpore Domini, in quibus acquiesco.

MEPPELENSIS. *Quecunque sunt separata locis, non sunt ubique: Corpus & anima fuere tempore mortis separata locis in Christo: Ergo non sunt ubique.*

HA-



HAMELMANNUS. De tantiis mysteriis ego tam temere differere non audeo. Nos inter statum exinanitionis & gloriæ distinguimus. Antea dixisti, illa dividii non posse. Sic es tibi contrarius. In primo statu, qui erat servi, semel est mortuus & crucifixus : Ergone semper crucifigitur ? Non sequitur. Item : Rex & regina, sunt separatae personæ locis, ergo per sua regna non simul regnant ? Non sequitur.

MEPPELENSIS. *Augustinus ait, secundum id, quod Deus est, ubique est, secundum id, quod homo est, in cœlo est : Ergo corpus Christi in certo loco cœli est, & ita non potest esse in terris.*

HAMELMANNUS. Nego consequentiam, prius proba ex Augustino, quod ita intelligat cœlum, ut tu ex Minoris infers. Et quæ sit sententia Augustini, supra ostendimus.

MEPPELENSIS. *Cyprianus ait, quod humanitas cœperit esse in loco, ubi ante non fuerit.*

HAMELMANNUS. Non memini, me legere, nec opinor, tale quid haberi, sed sic : *Ibi cœpit esse, ubi ante non fuit, videlicet, humanitas in dextera majestatis Dei.* Sic Ambrosii locus confirmat nostram sententiam, quod nusquam desit per præsentiam majestatis suæ, quam etiam nos tribuimus homini Christo.

MEPPELENSIS. *Vigilius vobis est contrarius.*

HAMELMANNUS. Ex Vigilio antea[Quantio respondi, quæ hic repeti possunt.

MEPPELENSIS. *Nulla creatura potest in multis locis esse. Christi corpus est creatura. Ergo non potest in multis locis esse.*

HAMELMANNUS. Nec nos localiter, sed majestate sua adesse in Cœna, & cœtu credentium Christum, ratione carnis, dicimus : Interim in multis locis & distinctis simul, sunt angeli, videlicet in cœlis, (quos vos a terris distinguitis) videntes semper faciem Patris, & non deserentes regnum Dei, & tamen stant quoque in terris ministrandes Sanctis, aut Simifonis Patri, aut Mariæ & Zachariæ stant, *Jud. 13. Luc. 1.* & per januas clausas intrant, ut ad Petrum, *Act. 12.*

MEPPELENSIS. *Si Christi Corpus est ubique; ergo in inferno est.*

HAMELMANNUS. Majestate sua, non localiter, est in inferno, ut ad ejus nomen contremiscant etiam, & flectant genua, ipsi adeo infernales, ut ait Paulus *Phil. 2.* quod non titulotenus, vel propter absentem, sed majestate præsentem Dominum inferni & Diaboli sit, *Ephes. 4.* ideo enim captivam duxit captivitatem. Præsentia localis est infima omnium, & non conferenda cum aliis duobus modis præsentiae, de quibus dixi.

MEPPELENSIS. *Si corpus Christi est ubique, ergo ubique est conceptum extra ventrem Mariæ, est extra Bethlehem ubique natum, extra Hierosolymam ubique passum, & extra hortum ubique sepultum.*

HAMELMANNUS. Sequitur minime: Et est tale argumentum, Si Deus est ubique, ubique uno modo est: At est cum gratia & in Sanctis, ut miracula faciant, Ergo ita ubiq; est in omnibus creaturis, & eātenus in Diabolis? talis est ratiocinatio tua, videlicet: Natus est in Bethlehem: si jam est ubique, Ergo ubique natus est. Dico autem, nos facere & constituere differentiam in Christo, inter statum exinanitionis, & humilem servi formam, & deinde, inter statum gloriæ, quando nomen Dei, quod est super omne nomen, ei tribuitur, quando exaltatus est ad dexteram majestatis Dei. Ad statum exinanitionis pertinet, hominem fieri, nasci, crescere, edere, bibere, dormire, ambulare, mori, pati, &c. Ad statum gloriæ pertinet, resurgere, ad cœlos ascendere, ad dexteram Dei sedere, super omnia elevari & exaltari, omnia gubernare, omnem cœli & terræ potestate habere, omnia replere vel implere, majestate sua ibi esse, ubi vult esse, uno in loco, pluribus in locis, ubique, vel extra omnia loca.

MEPPELENSIS. *Nos ibi erimus, ubi Christus erit. Nos erimus in cœlis. Ergo corpus Christi est in cœlis.*

HA-



HAMELMANNUS. Omnino antea probavi , ne quidem nostra corpora fore tunc, ut in loco. Sed Christus est in dextera majestatis Dei, super omnia creata elevatus, Ergo & nos ita erimus in dextera Dei, ut Christus? An nulla erit inter nos & ipsum Christum, & nostram & ejus sessionem differentia? Hieronymus ex eo, quod Sancti, (ut in Apocalypsi cap. 14. dicitur,) sequantur agnum, quocunque erit & fuerit, concludit, *Sanctos cum agno esse, ubique velit agnus, vel ubicunque sit.*

NOVÆ PROBATIONES

JOHANNIS MEPPELENSIS.

Quod manu ministri Ecclesiæ non porrigitur
verum corpus Christi.

MEPPELENSIS. *Substantia carnis non est nisi in cœlo : Manus ministri non est in cœlo, Ergo substantia carnis Christi non est in manu ministri.*

HAMELMANNUS. Ultraque propositio est falsa. Millies probatum est, Christum ita non esse in cœlo, ut simpliciter , & tantum in physico loco, quasi ibi in aliqua cœli particula circumscriptis loco & tempore, tanquam captivus hæreat , quod est Scripturæ contrarium. Minor est falsa, quia, ut ait Christus: *Regnum Dei intra vos est.* Item, *regnum Dei ad vos pervenit*, Ergo, quia minister est membrum Ecclesiæ, est in cœlo, hoc est, regno Dei, quod non locorum distantiis distinguitur , nec est esca & potus , sed pax & gaudium in Spiritu sancto.

MEPPELENSIS. *Si manu ministri porrigitur, necesse est, ut sit cum, vel sub, vel in pane, sed non est in pane, vel sub aut cum pauæ, Ergo non exhibetur manu ministri.*

HAMELMANNUS. Diximus antea , cur illa voces à veteribus sint addita, & si velis Pauli textum explicare, *Panis fructus est communicatio corporis*, tunc sic fiet, hoc est, cum pane corpus sumitur. Ut enim sub specie columbae vere descendit Spiritus sanctus super Christum,

L 3

Matth.



Matth. 3. ita vere sub, vel cum pane, in sacramentali unione, exhibetur ratione institutionis Christi apertæ, corpus cum pane, sicut *Johan. 1.* dicitur: *Verbum caro factum est*, h. e. Verbum cum carne unitum est, veleam sibi adjunxit in unam personam, &c. ut, sicut ibi sit declaratio per propositiones *Cum*, vel *In*: ita & hic sit.

MEPPELENSIS. Sed *Baptista* ait, se baptizare aqua, Christum Baptismo ignis & spiritus: ergo ministri manus nibil, nisi panem præstat.

HAMELMANNUS. Conceditur ratione *ministri*, sed ratione *institutionis*, quæ a Christo est facta, per illud ministerium porrigitur *corpus Christi*, quia per illa media vult Deus esse efficax, sicut *Spiritus Sanctus* arguit mundum de tribus, videlicet, per ministerium, ita est efficax Christus per ministerium juxta verbum. Chrysostomus, aliquoties dicit corpus Domini manu ministri attrectari. Et alii Patres, eodem modo loquuntur.

JOH. M E P P E L E N S I S, Contra mandationem indignorum

Proposita Argumenta.

MEPPELENSIS. Qui non est capax novi testamenti, nec est sanguinis Christi capax. Impii non sunt capaces novi testamenti. Ergo nec sanguis Christi.

HAMELMANNUS. Quoad gratiam & salutem non sunt capaces, sed quoad judicium: *Major* dicit de spirituali capacitatem simpliciter. *Minor* de sacramentali, quia multi indigni & clam impii, saepe sacramentaliter accedunt ad bibendum in Sacramento sanguinem Domini. Adde, quod *Major* pugnet cum sententiis Patrum, & cum ipso *Theodoreto*, qui omnes dicunt, ut videre est ex *Luca*, quod *Judas bonum corpus Domini sumserit*, & cum ipso *Paulo*, qui expresse scribit: *Indigne comedentes, reos fieri corporis & sanguinis Christi*.

MEPPELENSIS. Misericordia Dei sola fide accipitur. Communio carnis Christi est opus misericordie, Ergo sola fide accipitur.

HA-



HAMELMANNUS. Major est falsa, Misericordia Dei opus sunt, divitiæ, valetudo, esus & potus, & illa corpore accipiuntur. Est opus misericordia Dei Evangelium, quod & aure simul & fide precipitur.

MEPPELENSIS. *Inter Filios Belial, & inter Christum, nulla est communio.*

HAMELMANNUS. Ad hoc respondi antea Quantio.

MEPPELENSIS. *Quicunque edunt carnem Christi, in illis habitat Spiritus sanctus: At ille non habitat in impiis. Ergo non edunt carnem Christi.*

HAMELMANNUS. Sunt quatuor termini. Plus subsumitur in conclusione, quam in præmissis. Major loquitur de esu spirituali tantum, & in conclusione de esu carnis Christi Sacramentali dicitur.

MEPPELENSIS. *Nemo potest calicem Daemoniorum, & calicem Christi bibere.*

HAMELMANNUS. Respondi ad hoc Quantio.

MEPPELENSIS. *Quicunque sunt rei corporis, non fiunt ejus participes: Impii sunt rei corporis Christi, ergo non fiunt participes.*

HAMELMANNUS. Major tantum vera est particulariter, de spirituali participatione, non de corporali, vel Sacramentali, ut sensus sit: qui fiunt rei corporis Christi, non fiunt participes corporis Christi, videlicet spiritualiter ad salutem. Nam spiritualis participatio liberat credentes a judicio, & reatu iræ ac poenarum Dei. Sed si indigni & impii participant, & accipiant corpus Christi, rei fiunt corporis indigne sumpti.

MEPPELENSIS. *Mortui non edunt. Impii sunt mortui (quia sunt in peccatis mortui.) Ergo non edunt.*

HAMELMANNUS. Concedo argumentum: sed addis in Minore, sunt mortui in peccatis, ergo sunt ibi quatuor termini. An eos, qui peccatis mortui sunt, non comedere opinaris? Hac ratione ne peccant quidem, quod falsissimum est: mortuos in peccatis ait mortuos. Ergo aliter mortem intelligis in Minore, & aliter in Majore.

Jo-



Johannes, commendans cuidam Episcopo adolescentem, qui post, ex negligentia Episcopi, siebat latro, rediens, repetit commendatum ab Episcopo adolescentem, & respondit is, eum mortuum esse. Interim ille mortuus, tamen postea reductus ad Ecclesiam a Johanne, edit corpus Christi. Tuo sensu, posset quidem argumentum concedi, sed plus est in conclusione, quam in præmissis, quia impii, et si animali vita vivant, tamen edant ore corpus Christi ad judicium, teste Paulo, veluti alia dona ingrati animo percipiunt in corpore, ut novem leprosi fecere.

MEPPELENSIS. *Caro Christi est cibus spiritualis. Impii destruuntur spiritu: ergo & eo cibo.*

HAMELMANNUS. Concedo ita argumentum, ut Evangelium est res spiritus: Spiritum impii non habent, Ergo Evangelium non audiunt? non sequitur: interim audiunt aure, & non fide. Sic edunt carnem Christi impii, licet non in spiritu & fide.

MEPPELENSIS. *Qui edit carnem Christi, manet in Christo, impii non manent in eo. Ergo, &c.*

HAMELMANNUS. Hæc ex 6. cap. Johannis allegas, ubi nihil de Sacramento agitur, sed de spirituali tantum esu carnis Christi in Majori agitur, & sic potest concedi. Interim non sequitur, quod propterea sacramentaliter non sumant impii corpus Christi.

MEPPELENSIS. Melius est, uti phrasibus Scripturae, & non cum pane, & in pane, quas phrases Scriptura non habet.

HAMELMANNUS. Ergone male conclusum est in synodis, Filium consubstantiale Patri, Mariam Deiparam dici, &c. Quia hæc vocabula non reperiantur in Scripturis?

MEPPELENSIS. *Agnus est pes ab sacrificia dicuntur expiationes. Ergo & hic ita.*

HAMELMANNUS. Quanquam hoc nusquam legatur, tamen ad hæc antea Quantio respondi.

MEPPELENSIS. Moyses, accepto vituli sanguine, aspersit filios Israel, dicens: *Hoc est testamentum, quod apposuit Dominus ad vos:* Ergo non est hic sanguis Christi.

HA-



HAMELMANNUS. Ergo est sanguis Christi in Cœna. Si enim ibi, in testamento veteri, fuit verus sanguis, quia de vero ibi sanguine dicitur, cur hic in novo testamento minus esset, & is non adesset sanguis, de quo dicitur? & observes hoc, cum tres sint hic in terris stantes, ut Johannes ait, *i. cap. 5.* SPIRITUS, AQVA & SANGUIS, hoc est, Spiritus per ministerium, aqua in Baptismate, & sanguis in Cœna Dominica, aliter hunc locum non posse explicari, quam quod sanguis Christi in terra sit, videlicet in Cœna.

MEPPELENSIS. Augustinus ait: *Christum figuram dedisse corporis sui discipulis.* Tertullianus, panem appellat figuram corporis, & alii: Ergo non est ibi corpus verum.

HAMELMANNUS. Appellatione signorum & figuræ, tantum resperxerunt Patres ad unam partem Sacramenti, videlicet ad externa & visibilia elementa, panis & vini: non autem ad corpus & sanguinem Christi, quod contra QUANTIUM nuper probavi. Ideo HILARIUS ait: *Corpus Christi, quod in altari participamus, figura est, quatenus panis & vinum exterioribus apparent sensibus.* Veritas autem est, quatenus corpus & sanguis in veritate cordis creditur. Cum igitur veteres, & sancti Patres, in materia Cœna utuntur vocabulis signi, figuræ, typi: separatim tantum de elementis loquuntur, ut Augustinus alibi dicens de secundo usu Eucaristiae, inquit: Nos multi unus panis sumus, sicut ex granis diversis tritici contritis & mola diminutis, & elaboratis manu pistorum, ac per ignem adustis fit panis, sic nostri multi ex diversis sumus, & tamen, unimur sive uni sumus in Christo, veluti ex diversis racemis uvæ colliguntur in unum botrum, ut in unum vas colligatur diversarum uvarum vinum. Ita nos colligimur in Christo per unam fidem, Sacraenta & confessionem. Et sic intelligunt, signis, figuris & typis, Patres elementa, quod ea sint externa, & visibilia signa, quæ testificantur de invisibili præsentia, & exhibitione atque sumptione corporis & sanguinis Christi, &c.

MEPPELENSIS. Canon Nicenus, vocat panem & vnum, nostra resurrectionis symbola.

HAMELMANNUS. Falsum est. Sic enim inter cætera ibi habetur: Ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum, sed attollentes mentem, fide, (nota fide) intelligamus situm in sacra illa mensa, agnum illum Dei tollentem peccata mundi, &c. Hæc verba tu, quæso, expende, & considera, si quid sit pietatis, vel etiam mīca in te?

MEPPELENSIS. Eusebius scribit in historia Eccles. lib. 9. cap. 9. Panem dici signum Dominice mortis.

HAMELMANNUS. Falsum est, Et ostende quæso mihi locum in Eusebio hic præsente.

MEPPELENSIS. Ego suscipio Augustanam Confessionem, sicut autor. Ergo non est corpus Christi in Cœna.

HAMELMANNUS. Sic illam in conventu Wittebergensi, ubi Theologi superioris, & inferioris Saxonie, convenerunt, & in Schmalcaldica Synodo, & in Ratisbonensibus duobus colloquiis, atque in Wormatiensibus duobus colloquiis explicuit, ut nos, & se autor cum Theologis adjunctis retulit semper ad verba Augustanæ Confess. & Apologiæ. Et, in ultimo Wormatiensi colloquio, vix triennio ante mortem ejus, celebrato, Cinglii dogma damnavit, & semper se in publicis scriptis ad istas actiones retulit, atque ita nostram sententiam confirmavit, quicquid sane præterea allegetur.

MEPPELENSIS. Augustana Confessio non docet corpus Christi ubique, vel in multis locis esse: Ergo vestrum dogma non est verum.

HAMELMANNUS. Non divellimus Christum. Nullam etiam extensionem corporis fingimus. Confessio autem Augustana docet, substantialiter adesse corpus Christi in Cœna.

MEPPELENSIS. Sub nomine Augustanae Confessionis nullæ ceremonie ullis Ecclesiis obrudi possunt, & sub ipsius capitibus, non fit mentio Catechismi Lutheri: ergo non ceremonie istæ in Ecclesiis, nec Catechismus Lutheri observari debent.

HAMELMANNUS. In sacris literis non fit mentio concilii Niceni, & Ephesini, & Chalcedonensis. Ergo, tuo sensu, quicquid in illis est utili-



utiliter conclusum juxta Scripturam, non debet observari. Multæ ceremoniæ post Apostolos utiliter sunt in Ecclesiam introductæ.

MEPPELENSIS. *Augustana Confessio, non vocat pios viros SCHVVER-ROS. Ergo nemo ita vocandus est.*

HAMELMANNUS. Pios viros nemo ita vocat. Sed *Schwermeros* appellamus, qui recedunt, ut *Apostatae & periuri*, a *Scriptura & Augustana Confessione*, malo studio & obstinate, ut est *Ciruglius, Calvinus, Beza, & similes.*

MEPPELENSIS. *Qui nunc edunt Augustanam Confessionem, non sunt autores ejus: ideo, non possunt ejus esse interpres.*

HAMELMANNUS. Nulla est consequentia. Ipse Lutherus tam est ejus autor, quam *Philippus*, & neuter eam edidit, sed est intercepta & publicata a *Typographis*. At dixi, in *Apologia*, & in publico Wittenbergensi conventu, in *Schmalcaldicis articulis*, in colloquiis Imperii quatuor, in publicis confessionibus, & publicis scriptis, se, videlicet autorem, quem tu facis *Philippum*, semper explicuisse, quod vere & substantialiter cum pane sumatur corpus Christi in Cœna, nec unquam huic sententiae contradixisse, vel publice eam revocasse, imo contrarium dicentes, rejecisse, paulo ante mortem, Imperii colloquio, Wormatiæ habito, anno 1557.

MEPPELENSIS. *Panis in Synaxi frangitur. Corpus Christi in Synaxi non frangitur. Ergo panis non est essentiale corpus Christi.*

HAMELMANNUS. Est fallacia dictioris. *Frangi* verbum in Majori Metaphorice pro *dividitur* sumitur, juxta Scripturas. In Minoris, pro *simpli fractione* in litera: *Scriptura dicit: Frange panem esurienti. Esaiæ 58. Thren. 4. & Marci 8. Non meministis, quod quinque panes fregissem inter homines quinques mille, id est, divisissim?*

MEPPELENSIS. *Omnis heres, ex literali sensu oriuntur. Ut Ariannorum, ex eo, Pater major me est, &c.*

HAMELMANNUS. *Scriptura se ita explicat, ut facile videre sit, quomodo hoc intelligi debeat, videlicet: non tam ratione humani-*



tis, quam officii, quia natura filius subest patri. Et, quamvis filius regis primogenitus ei subsit, tamen dignitate ei aequalis est. Interim, tuum argumentum est blasphemum, quia rejicis Scripturam.

M E P P E L E N S I S. Unde heres Origenis, quam ex literali sensu? **C a r o** & sanguis regnum Dei non possidebunt? Unde heres Helvidiana? ex literali sensu, cum Christi fratres dicuntur in Evangelio. Unde heres de manduca^{tione} indignorum? nonne ex literali sensu verborum, hoc est corpus meum?

H A M E L M A N N U S. Ergo tu concludis, literalem sensum nihil esse? si ex una particula, male detorta, vellet aliquis concludere aliquid, cum alibi manifesta Scripturæ testimonia, vel repugnarent, vel aliter hoc declararent, id male fieret. Sic fecere *Origenes*, *Mennonites*, & *Helvidius*, quia quod Origenes afferuit, manifestis Scripturæ dictis refutatur, sicut abunde Hieronymus ex Scripturis, Helvidium refutavit aperte & perspicue. Ideo miror tuam dementiam, aut superbiam, vel ignorantiam, quod hæresin voces sententiam & doctrinam veram, quæ ex verbo Dei constat, quam constanter divinus ille *Lutherus*, bona & pia conscientia, defendit, quæ in tot synodis nostratrum Theologorum, vero pietatis zelo præstantium, in tot Imperii colloquiis, contra adversarios est defensa & comprobata. Hoc nostris nomen nunquam Cingiani tribuere ausi sunt, sed Martyr eos profratribus agnoscit & celebrat, ut etiam Cinglius & Oecolampadius. Et vere possum probare, ipsos Cingianos de sua sententia esse incertos: De fructibus malis, quos dicis ex nostra doctrina sequi, cum non sint argumenta, sed calumniæ, nihil dicam. De **M A T T H I A E SYLLII**, hominis non admodum clari, sententia, nihil quoque dicam, cum nihil probet, sed potius calumniam adferat, quasi voces *In*, *Sub*, *Cum*, quibus usi Patres sunt, ex inferno profectæ sint. Ideo, ad hoc nihil jam respondebo. Quæritur ita tandem a reliquis Pastoribus præsentibus: *An approbent solutiones?* vel, *an habeant, quod in eis adhuc desiderent?*

HER-



HERMANNUS ACCUMENSIS, ait reliquorum nomine, post habita-
tam deliberationem, se nihil desiderare, sed solutiones per omnia ap-
probare communi consensu.

HAMELMANNUS. Cum igitur vos, CONRADE QVANTI, &
JOHANNES MEPPELENSIS, videatis viros doctissimos, & prima-
rios Pastores hujus ditionis, approbare nostram responsonem: quid
est quæso, quod vos moretur, quo minus velitis subscribere ORDI-
NATIONI ECCLESIASTICÆ, satis jam a multis Academiis Augu-
stanæ Confessionis approbatae, cum profecto nihil proferre possitis,
quod juste reprehendi possit?

Quæstor ZEIBICHIUS, & STATIUS REINKINGIUS, Consiliarii: Cur vos vultis a communis fratum, & Patrum hic præsentium,
& aliorum Pastorum, se submittentium justæ censuræ ordinationis,
consensu discedere? Annon & illi habent conscientiam? Aut habe-
tis, quod adhuc desideretis, vel reprehendere possitis?

QUANTIUS. In ordinatione illa babentur: Dass es dennoch gleich-
wohl geschehe warhaftig/ auß übernaturliche himmlische Weise/ cum
contra, Christus habeat naturale corpus. Ideo, illa verba approbare non
possimus.

HAMELMANNUS. Illa sunt ita intelligenda, quod hæc non natu-
raliter, & physico modo, sed hyperphysice & supernaturaliter, con-
tra & præter, imo & supra naturam, fiant, & tamen adsint coelesti &
& ineffabili modo ea omnia, quæ Dominus & promittit, & dare se di-
cit: Et hic supernaturaliter, ponitur pro eo, quod non fit naturali,
hoc est physico, locali & Capernaitico more.

QUANTIUS. Si est ibi verum corpus, est naturale.

HAMELMANNUS. Verum quidem est corpus Christi, licet superna-
turaliter natus sit ex virginie, & licet in naturali corpore multa su-
pernaturalia fecerit miracula, passus & sepultus sit atque resurrexe-
rit, & ascenderit supernaturaliter.

CONSILIARIUS. Annon adhuc quiescis?

QUANTIUS. Non acquiesco.

HAMELMANNUS. Discedam paululum, ut interim cum istis amice agatis.

Ibi, et si graviter a Dominis Consiliariis, & D. Pastoribus admoniti, & rogati essent, tamen perstitere pertinaciter in proposito. Revocatur igitur Hamelmannus.

HAMELMANNUS. Doleo vestram vicem, & pertinaciam deploro, & interim coram magnificis CONSILIARIIS, & reverendis PASTORIBUS vos obtulsi, per CHRISTUM JESUM, & ejus vulnera, cum nihil amplius habeatis, quod opponere possitis, ut cedere veritati dignemini, & eum largiri Deo honorem, quia dixi, & dico: me ex omnibus CINGLIANORUM scriptis, & ipsius Cinglii, Oecolampadii, Carlstadii, Rothmanni, Calvini, Ochini, Hartenbergii, Beze, & aliorum scriptis probare posse, quod dubitent de sua causa.

QUANTIUS. *Ubi est memoria rei alicujus, ibi non esse res ipsa. At memoria corporis Christi, teste ipso, & Paulo, est in cena: ergo illud ipsum non potest adesse.*

HAMELMANNUS. Majorem antea negavi, quia dixi in veteri Testamento, instituta esse Festa ad memoriam Domini: ergone in ipsis non adfuit? non sequitur. Non celebramus in die Pentecostes festum Spiritus sancti, ergone ipse Spiritus sanctus non adest?

QUANTIUS. *In primo festo Pentecostes, visibiliter Spiritus sanctus adfuit.*

HAMELMANNUS. Christus etiam in prima cena visibiliter adfuit, sed, ut propterea non sequitur: Spiritum sanctum modo non adesse, quia tunc visibiliter adfuit, ita nec quoque sequitur, quia Christus tunc visibiliter adfuit in prima cena, ergo jam eum non adesse?

QUANTIUS. *Paulus explicat hoc, Mortem Domini annunciate, donec veniat. Ergo, qui venit, non adest.*

HAMELMANNUS. Verbum veniet, habet plerumque in Scripturis singularem emphasis. Angelus ait Act. i. Hic Jesus sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum, videlicet in gloria & pom-



& pompa divina. Christus ait, *Joan. 6.* Paracletus, cum venerit, arguet mundum de peccato, &c. Et tamen adfuit, nusquam defuit Spiritus sanctus, & tamen venire dicitur ibi *Spiritus sanctus*, videlicet emphatice, & singulari modo, in adventu solenni, ut etiam hæc dicta denotant, Tu es, qui venturus est, an alium expectamus? *Mattb. 11.* Item: Qui venturus est, veniet, & non tardabit. *Hebr. 10.* Illa dicta, de singulari, & solenni adventu, ex quo nulla Christi absentia potest concludi, loquuntur. Sic dicitur *Joan. 14.* Si quis diligit me, sermonem meum servaverit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et interim non sequitur, quod Pater propterea absit, & adesse nequeat. Verum dixi, talia dicta de singulari, & solenni adventu esse intelligenda. Antea autem explicui tuum argumentum, & respondi, & in responso adhuc acquiesco.

CONSILIARIUS. Satis censemus esse responsum, & putamus idem judicare Dn. PASTORES præsentes: tantum dicant suam sententiam, quid fieri velint.

HERMANNUS ACCUMENSIS. Satis est cum ipsis actum, ac etsi per multos dies cum illis ageretur, tamen frustra omnia tentarentur.

QUANTIUS. Verum est. Ego enim non possum bona conscientia subscribere, & libenter discedam, si saltem mibi communicetur testimonium, quod non alia de causa dimissus sim, ideo peto dimissionem.

HAMELMANNUS. Vis & tu Meppelensis subscribere?

MEPPELENSIS. Nolo, sed cum simili testimonio cupio dimitti. Et, si tu HAMMELMANNE, ires Genuam, vel Tigurum, vel Heidelbergam, & ibi cum Doctoribus, & Professoribus, ac Pastoribus disputares, haberes, qui tibi respondere possent.

HAMELMANNUS. Facerem, si istis mediis, ad tales disputationem vocarer, vel pertraherer, sicut ad hanc vobiscum habendam vocatus & ordinatus sum. Nam, non pudet me Evangelii.

Se-



Sequuntur

VIGINTI ARGUMENTA,
prolata

SACRAMENTARIIS QUIBUSDAM
IN C O L L O Q V I O J E V E R E N S I ,
& soluta
ab
HERMANNO HAMELMANNO.

I.

*U*na est ratio omnium Sacramentorum.

HAMELMANNUS. Nos debemus singula Sacra menta considerare, ex propria eorum institutione, & ex verbis institutionis potius, quam ex collatione.

II.

Cum non minus sit Baptismus novi testamenti sacramentum, a Filiō Dei institutum, quam cœna Domini: ideo, in uno nihil amplius poterit esse, quam in alio. Sicut igitur Christum induimus in baptisme fide, ita & in cœna Corpus Domini sumimus.

HAMELMANNUS. Si Baptismus est lavacrum regenerationis, jam quæro: annon totus homo regeneretur tam corpore, quam anima? Sit totus homo regeneratur, ergo etiam totus Christum induit. Distinguendum est autem, inter substantiam sacramenti, & usum ejus. Paulus loquitur de usu Baptismi, & non de substantia. Substantia baptismi, pendet a verbis institutionis, quando enim *venit verbum ad elementum, fit sacramentum.* Jam quæro: si, institutione baptismi, manet & debet manere verbum *baptizate*, in sua genuina significatione, tunc quoque debet manere, in sua propria significatione, verbum, *edite & bibite.* Jam, edere & bibere non potest aliter fieri, quam ore, & eo medio, quod ad hoc ordinatum est in homine. Et, quemadmodum in dicto Pauli, Baptismus est lavacrum regenerationis, manet EST, in sua propria significatione, ita quoque opor-



oportet manere verbum EST, in verbis cœnæ, quod magis conficit Paulus in his dictis, in eadem materia Eucharistiae, quando ait, *Calix, quem benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Ubi EST, manet in sua propria significatione.

III.

Hoc modo sequetur Papistica transubstantiatio, & Paulus ibi non loquitur de reali manducatione corporis, sed de communione, que est fideli. Et ex aliis potest ostendi: EST, poni pro significat.

HAMELMANNUS. Non inde sequitur Papistica transubstantiatio, nisi & ibi esset Papistica transubstantiatio, quando ait, *Baptismus est lavacrum regenerationis*, id est, mutatur, quod non admittit textus, sed, sicut Evangelium est potentia omni credenti ad salutem: ita & in hac propositione manet verbum EST, in sua propria significatione.

IV.

Dicitur in textu, omni credenti: credentibus igitur est ad salutem corpus Christi, & ideo fide percipitur, sicut Evangelium eis est potentia, &c.

HAMELMANNUS. Nos digredimur a proposito ad locum Pauli, an ibi sit *noua via* realis vel verbalis? Nunc dico, sicut in dictis Iohannis, *Verbum caro factum est*, & EST, manet in sua significatione, ut ibi duo existant: videlicet, *Verbum & caro*, cur similiiter in sacramentali locutione non posset est, retineri in sua significatione, testibus veteribus, qui hoc urgent, ut Cyprianus, Damascenus, Emissenus, Theophylactus, Euthymius, Nicephorus, Aquinas, & alii? Si vero jam, *Edere verbum, &*, EST verbum, in sua manent significatione in verbis cœnæ, ut probavi. Ergo ore sumitur non minus substantiale & essentiale corpus Christi, quam panis & vinum.

V.

Quorsum ille corporalis esus utilis esset? & si esset ille, certe Capernaiticus videretur.

N

HA-



HAMELMANNUS. Irenæus, Justinus, Tertullianus, ut vetustissimi, hanc reddunt rationem, quod propterea saginetur caro nostra Christi carne, ut ita nostra caro vivificata, possit resurgere ad vitam æternam. Et deinde, nos non dicimus, Capernaiticam esse sumptionem, sed sacramentalem, quæ ita fit, ut verba institutionis testantur.

VI.

Fide & ore sumi unum & idem corpus, quomodo hoc potest utrobiique fieri?

HAMELMANNUS. Non hoc tibi novum sit. Dixi, totum hominem in baptismo regenerari & innovari, & in Evangelio prædicto consideremus, illud percipi aure & fide. Ideo, per media semper operatur Deus. Si illud concedimus, quis igitur non crederet, nos tam in corpore, quam in animo, cum totus homo tam in carne quam in animo peccaverit, consequi remissionem peccatorum, habere propitium Patrem, habere salutem, resurgere ad vitam, ingredi in vitam æternam? Cur igitur illis mediis, de quibus loquitur institutio Christi, nos etiam non minus in corpore, quam per fidem in animo saginaremur? Aut, quorsum utilis esset institutio Christi hujus Sacramenti, tam serio & tam diligenter conscripta, quam in ultimo Testamento claris verbis instituit Christus, & diligenter commendavit, & Paulus repetiit?

VII.

Maxime utilis est institutio Sacramenti illius, ut ita obsignetur fides, quod ostendit natura sacramentorum, ut, sicut corpus ore sumit & bibit panem & vinum, ita anima per fidem, sumat corpus, & sanguinem Christi.

HAMELMANNUS. Dixi, per media operari Deum in Evangelio, in Baptismo, & in Eucharistia, ut & corpore & animo homo istis foveatur, & ad vitam æternam alatur. Sit tantum signaculum esset, cur addit verba illa, *Hoc est.* Eatenus in omnibus cœnis dicere-

mus



mus, posse fieri, ut ita sumptione panis ob signarēmus fidem, si cum gratiarum actione sumeremus, & mortis Domini memores essemus.

VIII.

Nos non docemus nuda esse symbola, & abesse corpus à cena simpliciter.

HAMELMANNUS. Tamen Beza dicit, tam procul a cœna abesse corpus Christi, atque cœlum a terra. Miror vos talia effugia quærire, cum omnes istius opinionis patroni, ut Berengarius, Carlstadius, Cinglius, Oecolampadius, Calvinus, Martyr, Hartenbergius, in hac sua opinione dubitaverint, ut ex eorum scriptis probare possim. Tanta est verborum institutionis vis, ut ita eludi non possint. Consideremus circumstantias, consideremus verborum gravitatem, harmoniam Evangelistarum, & repetitionem Pauli, & quomodo hoc, ut a Domino acceperit, toti Ecclesiæ commendaverit. Et jam illa omnia essent frustranea, si ibi tantum panis exhiberetur & vinum, & non hoc ipsum, de quo institutio refert & pronunciat. Diximus, verbum accedere ad elementum, & fieri Sacramentum. Jam vero accidente verbo ad elementum in suo usu, ut sit Sacramentum, nunc quid ibi nudæ sunt literæ, vel verbum in sua efficacia, juxta genuinam institutionem, non est & erit ibi revera? Si verbum verum est, ergo hoc adesse oportet, quod verbum pronunciat.

IX.

*Adesse quidem Christum dicimus, sed non corporaliter, sed spiritu-
liter, prout Spiritus est in Baptismo.*

HAMELMANNUS. Nihil tale habemus in baptisme, quod talis fiat prædicatio de elemento, sicut hic pronunciatur de pane, quod sit corpus Christi. Vestri dicunt, corpus Christi tam procul esse a cœna, ut cœlum a terra, ideo faciunt vacua symbola. Quomodo igitur potest ibi Sacramentum verum esse, ut verbum ibi verum cum sua efficacia sit, & in suo usu maneat, non minus quam elementum.



X.

Christus, sedens ibi in prima institutione, cum nondum dedisset corpus suum in mortem, nec dum effudisset sanguinem, quomodo tunc vere dare potuit suum corpus & sanguinem discipulis, edendum & bibendum, cum ibi integer maneret?

HAMELMANNUS. Etsi hoc non videretur, quomodo fieret, tamen hoc damus ejus omnipotentiaz, utpote cui secundum hominem data est omnis potestas in cœlo & in terra, quod potuerit, juxta suam institutionem, id quod promisit, efficere. Quod vero dicit, *non-dum datum in mortem, licet diceret, quod pro vobis effunditur*, hic consideremus coram Deo omnia esse præsentia, ut ait: *Sum qui sum, & mutor minime.* Esaias, centenis aliquot annis prior Christo, dixit tamen, *Puer nobis natus est, Puer nobis datus est.* Item, *Attritus est propter peccata nostra, & in labore ejus sanatis sumus*, ideo ejus fidei & oculis spiritualibus, tam fuit præsens meritum Christi, atque si sub cruce stetisset cum Johanne. Sic ait Johannes Baptista: *Ecce agnus Dei, qui tollit, (ecce in præsenti) peccata mundi Job. i.* Item: *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Item, ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 1. Joan. 1. & 2. Vides omnia ibi in præsenti ponit ad denotandam efficaciam, quod omnia ut Deo, ita & fidei veræ sint Dei promissiones præsentes. Sic jam quoque erat passio Christi in fieri. Hinc est, quod ait, *quod pro vobis effunditur*, in præsenti, &c. Sed quæro ex te: an non valeret, & in sua institutione efficax manere deberet post passionem & resurrectionem Christi, quod ante passionem & mortem instituit & confirmavit? Tunc enim abolenda essent omnes promissiones & miracula Christi, &c.

X.

Cur tantopere oralem mandationem urgetis, cum sint multa impedimenta, nec hoc fieri queat, videlicet, quod si ore, ergo non aliter, opinor, quam Capernaitico more sumi. Item: si ibi ita corporaliter & es-sentialiter sumitur, ergo, quia in multis locis administratur cœna, perit veri-



veritas Christi corporis, & videtur absurdum, etiam impios & incredulos edere vivificum Christi corpus.

HAMELMANNUS. Ego demonstravi ex collatione utriusque Sacramenti novi testamenti, & ex verbis institutionis, quando ait, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Quia verum ejus corpus pro nobis in mortem datum est, quod non phantasticum, sed verum corpus accipiatur & edatur a nobis ad vitam retinendam, tam animo, quam corpore. Ut igitur Christo, qui est veritas, tribuamus istum honorem, conscientia nos urget ex verbo, ut hoc verum credamus, illum quoque hoc posse ultra & supra nostrum intellectum, cum omnia ejus facta, conceptio, nativitas, miracula, dicta, passio, mors, resurrectio & ascensio, sint supra nostrum caput. Ideo hoc ita credimus ei, cui omnia sunt possibilia. Ne vero credatur Capernaitico more nos sumere, quod omnino negamus, dicimus sic: quia, ut est ad dexteram majestatis Dei Christus homo, ultra & supra omnes coelos elevatus, in gloriam Patris, ita, inquam, dicimus, eum ibi esse præsentem, & nobis vere dare corpus suum edendum, juxta verba institutionis. Scriptura enim affimat, Christum esse supra omnes coelos elevatum, coelis altiorem factum, omnia, quæ nominantur, ei esse subjecta, & quod ad dexteram majestatis Dei ascenderit, & ad eam Dei dexteram, quæ, antequam mundus & ullus locus esset, sedeat, & in ea maneat. Quid? quod ne quidem nostra corpora erunt in vita æterna, ut in loco, quia erunt spiritualia, & cum sint omnia ibi nova, & novum coelum, & nova terra, imo cum sit tunc Deus omnia in omnibus: ideo, non est quicquam certi in Scripturis de loco physico, quem ratione nostra in hac vita assequi possimus. Ut igitur Christo secundum hominem non adimamus veritatem, omnipotentiam & majestatem, conscientia nos cogit, ut ita credamus, illa vere fieri. Quod ad indignos attinet: censeo, vere illos participes fieri corporis Christi, quia Christi sacramentum & ejus institutio, non pendet a nostra dignitate, vel indigitate, a nostra fide, vel infidelitate.

N 5

XII.



XII.

Johan. 6. babetur: Qui edit carnem meam, & babit sanguinem meum, vivet in eternum. At impii non vivent in eternum: Ergo non edunt.

HAMELMANNUS. Nego Majorem loqui de sacramentali sumptione, nam cum ibi nondum instituisset sacramentum Altaris Christus, nec loqueretur de sacramentis, sed de efficacia fidei veræ, apprehendentis Christum in suis meritis: Ideo sicut sequenti capite, & 4. cap. ait: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Quatenus igitur illa aqua babitur, ut nulla sit mystica sitis, eatenus caro & sanguis sumitur spiritualiter & in fide. Ideo distinguendum erit inter sacramentalem sumptionem, & eam, quæ est tantum spiritualis & fidei. Adde, quod si Christi verba *Johan. 6.* sint de sacramento Eucharistiae intelligenda, ut omnes, sacramentaliter edentes, salventur: ergo mentitus est Paulus, dicens, *quosdam indigne sumere hoc Sacramentum, & quidem adjudicium.* Loquitur enim Paulus de sacramentali pane emphatice, & de poculo Domini, & mox ait: *Reus erit (indignus) corporis & sanguinis Domini.* Si nudus ibi panis, si nudum vinum ibi esset, quomodo fierent ibi indigne sumentes rei corporis & sanguinis Christi? Et sequitur: *Qui manducat & babit indigne, judicium sibi manducat & babit, non judicans corpus Domini.* Quomodo sibi aliquis judicium in solo pane & vino ederet?

XIII.

Non potest demonstrari, quod res spiritualis, & res fidei aliter accipiatur, quam fide. Impii non habent fidem: ergo ejus fieri participes non possunt.

HAMELMANNUS. Major est falsa, quia Evangelium est res fidei & spiritualis, attamen non tantum fide, sed etiam externa aure auditur, quia fides ex auditu, auditus per verbum Dei, *Rom. 10.*

XIV.

Alia est res Evangelium, & alia sacramentum Altaris, quia Evangelium



geliū dicit Paulus, esse odorem mortis ad mortem incredulis, & credentibus odorem suavitatis ad vitam, hoc non dicitur de Eucharistia.

HAMELMANNUS. Etsi idem sit, quia eodem modo alii comedunt ad judicium Eucharistiam, & alii ad vitam: Tamen, quārō exte, an non Eucharistia sit pars Evangelii? Si igitur totum & genus, id est, Evangelium ipsum, suscipitur externo aliquo organo non minus, quam fide, ergo certe etiam aliqua ejus pars vel species, eodem modo non minus corpori, quam animo applicatur.

XV.

Evangelium ab incredulis auditum, est litera mortua, & à fidelibus auditum, est promissio salutaris.

HAMELMANNUS. Quārō ex te, an non illud verbum vocale a te pronunciatum ex doctrina Christi, sit & maneat Evangelium, licet percipiatur a dignis & indignis, a credulis & incredulis? Idem quāsso censeas in Sacramento Altaris. Si enim Sacramentum consistit ex verbo & elemento, nunquam ex nostra incredulitate annihilatur verbum. Ut incredulis est Evangelium litera occidens, sic quoque est Corpus Christi, sumptum a malis, operatio ad judicium. An non Julianus, Judas, & Nicolaus, unus ex septem Diaconis, recte baptisati sunt? vel etiam Simon Magus? si recte baptisati sunt, & verum accepere baptismata, sed ad judicium, quis igitur negaret, non accepisse vel accipere verum & totum Eucharistiae sacramentum impios, hoc est, non minus corpus & sanguinem, quam elementa, sed ad judicium.

XVI.

Augustinus ait, quod Judas panem Domini sumpserit, sed non panem Dominum.

HAMELMANNUS. Panem Domini, hoc est, verum Sacramentum, non Dominum in gratia. Alioquin saepius se aliter declarat, ut lib. 2. contra epist. Petiliani cap. 55. Ei dicturi sunt, in tuo nomine corpus & sanguinem tuum manducavimus & bibimus, & audituri sunt, non novivos, qui corpus & sanguinem ejus in Sacramento manducant
&



& bibunt, & membra ejus in toto orbe diffusa non agnoscunt. Item in *Johan. tract. 5.* In bonis sancta ad salutem insunt, in malis ad judicium. Et quod ait Apostolus, Qui manducat & babit indigne, &c. non ait, quia res illa mala est, sed quia ille malus male accipiendo ad judicium accipit. Non enim mala erat buccella, quæ tradita est Iudaæ a Domino. Medicus non daret venenum. Salutem dedit medicus, sed indigne accipiendo ad perniciem accepit, quia non paratus accepit. Idem *ex lib. contr. Donatist.* post collationem *cap. 6.* De ipso quippe pane, & de ipsa dominica manu, & Judas partem & Petrus accepit, & tamen, quæ societas Petro cum Juda? *Et mox:* Cum boni & mali simul audiunt verbum Dei, & simul Dei Sacraenta percipiunt, & tamen habent dissimiles actuum suorum causas, & dissimiles gerunt voluntatis diversitatæ personas, eundem cibum sanctum aliis manducantibus digne, aliis indigne, nec causa causæ, nec persona personæ præjudicat. Idem, *in lib. contra Fulgent. Donatist.* Judas proditor bonum corpus, & Simon Magus bonum baptisma perceperit, sed quia bono non bene usi sunt, mali male utendo deleti sunt, &c. Antea dixi ex Luca, probari Judam interfuisse cœnæ. Et idem dicit THEODORETUS *super 1. Cor. 11.* super illa verba. Qui sumserit indigne &c. Et Judam corpus Domini indigno ore sumpsisse. Ad omnes præsentes ait Christus in genere, absque exceptione, Accipite & edite. Item, accipite & dividite inter vos, bibite ex hoc omnes. En! omnes ait, ibi includitur etiam Judas. Et additur, & biberunt ex eo omnes.

XVII.

Semper ipse Christus diligenter distinxit inter corpus & divinitatem. Loquitur de sua divinitate: (antequam Abram eisset, ego sum) & humanitate, (pauperes semper habebitis vobiscum, me non semper. Item Angelus ait, non est hic) in quibus dictis expresse ponit ad certam mensuram & locum, humanitatem suam Christus.

HAMELMANNUS. Joh. 14. ait: *Mundus me jam non videt, vos autem me videtis. Etsi vero esset præsens & videretur a mundo, sed erat*



erat præsens, & non præsens mundo, tamen videbatur a mundo ex-
tero modo, & a mundanis hominibus, sed non ita, ut ab Apostolis vi-
debatur, de quibus ait, *Luc. 10.* Beati oculi, qui vident, quæ vos vi-
detis. Multi Prophetæ & Reges, voluerunt videre, quæ vos videtis,
& non viderunt. Et *Luc. 24.* dicitur: Hæc sunt verba, quæ locutus
sum vobis, dum adhuc essem vobiscum, & tamen illis aderat præsens,
sed alia ratione. Ipse promisit, *Mattb. 28.* se nobis adsulturum, us-
que ad consummationem seculi. Hoc homo Christus ore locutus
est, & mentiri nescit. Præsentem Christum non ita, ut pauperes, ha-
bebimus, ut ipsi præstems officia, velut tunc fecit Martha, *Job. 11.*
Et Marcus hoc explicat *cap. 14.* Semper pauperes habetis vobiscum,
& cum volueritis, potestis illis benefacere. Vides hic clariorem ex-
plicationem? Dicimus, illum hominem Christum non localitate,
sed maiestate mirabiliter & ineffabiliter adesse. Quod ait Angelus,
Non est hic, præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ipse explicat:
Surrexit, sicut dixit, videte locum ubi positus erat Dominus. Ubi
notemus Emphasis in verbis, *Venite, & videte locum.* Matth. & Marc.
ult. Quod ex verbis Lucæ *cap. 24.* explicatur, quando ibi dicitur,
Quid queritis viventem cum mortuis? Quasi utробique dicere velit:
non est hic amplius in loco, & statu mortuorum, vel in sepulchro, ut
mortuus, &c. Sed, si præcessit localiter in Galilæam, ut ibi, & non
in Judæa fuerit, quomodo subito, mox & eodem die & tempore po-
tuit in Judæa, imo Hierosolymis se Magdalena & Petro, atque eun-
tibus in Emaus exhibere, & apparere, & rursum ex oculis eorum eva-
nescere? An potuit localiter, cum Galilæa ab Hierusalem ad multa
milliaria distet, tantum iter tam subito confidere? Ideo, non sem-
per ista secundum literam unius dicti, sed secundum contextum Ev-
angelistarum sunt intelligenda. Quod vero de Galilæa dicit, & de sin-
gulari ibi futura apparitione, id antea *Mattb. 26.* prædixerat, quia
ibi cum ipso potuerunt in tuto esse, ut etiam ibi eum denuo *Joh. 21.*
viderunt.

XVIII.

*Cœna Domini est sacramentum: ergo est sacramentalis locutio. Sacra-
menta aliquid denotant. Proprium sacramenti est, symbolice aliquid
representare.*

HAMELMANNUS. Concedo, quod aliquid denotent, an propte-
rea igitur non hoc exhiberent, præcipue in novo Testamento, de
quo institutio refert? Hoc necesse est, ut probetur. In secundo
usu, quando nos excitat ad charitatem cœna Domini, potest symboli-
care representatio admitti, ut, quod multi unus panis sumus, &c. Interim,
non sequitur, quod propterea figura corporis absentis sit cœna
Domini tantum.

XIX.

*Scatet tropis scriptura; ut nondum erat Spiritus sanctus, quia Christus nondum erat glorificatus. Interim tamen semper fuit Spiritus sanctus. Item, arca est Deus, vel Dei presentia. Circumcisio vocatur fædus: pascha est transitus: petra erat Christus: Johannes est Elias: Ego sum vitis, & Pater meus agricola. Ut enim in ipsis verbis est tropus, & EST, sumi-
tur pro SIGNIFICAT, ita & in verbis Cœna fieri censemus, quia commo-
dior sensus non potest dari.*

HAMELMANNUS. Non sequitur hoc, quia argumentum a parti-
cularibus ad universale non valet. Aliquot dicta scripturæ abun-
dant tropis, ergo omnia? Vel, ergo in cœna erit tropus, ut ibi EST,
pro significat usurpetur. Non sequitur. Nos multi unus panis &
unum corpus sumus, ait Paulus, quod latius interpretatur 1. Cor. 12.
quæ dicta quidem de mystico corpore, & de mystico pane intelli-
guntur. Interim, & in talibus etiam manet, *Est* verbum, in sua si-
gnificatione, nec potest pro significat sumi. Quod ad illud: *Non-
dumerat Spiritus sanctus.* Si, erat verbum substantivum, ibi pone-
retur in propria significatione pro essentia Spiritus sancti, impia se-
queretur sententia, & tunc prima origo statueretur Spiritus sancti in
resurrectione Christi, & ita negaretur æternus & verus esse Deus Spi-
ritus sanctus, quod additur: *Quia Jesus nondum erat glorificatus.*

Sed



Sed jam Scriptura ostendit illum verum & æternum Deum. Deinde non hic, ly *erat*, pro *significaverat*, potuit sumi. Et ibidem *Job. 7.* ait: Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, &c. nota explicatio-nem. Ita nondum erat, videlicet visibiliter datus credentibus. Item, nullibi Scriptura ita expresse loquitur, *Arca est Deus*, vel *est præsentia Dei*. Dicitur quidem in scripturis de arca illa, tanquam de Dei præsentia, ut: Vocabitur nomen ejus, nomen Zebaoth, & David ludebat cum omni populo *coram Domino*, quia ludebat co-ram arca. Item David saltabat *ante Dominum*, *1. Sam. 6. & 2. Sam. 6.* Et *Num. 11.* dicebat Moyses proficidente arca, *Exurge Domine*, & dissipentur hostes, & reposita arca, *revertere Domine*. Hæc non tam ad arcam, quam ad præsentem Dominum referuntur. Sed, sit arca dicta Dei præsentia, videlicet, propter promissionem, ideo erat symbolum Dei vere præsentis, & non figura absens, & ita hoc con-firmat nostram sententiam. De circumcisione legimus *Gen. 17. Cir-cumcidere omne masculum octavo die, ut signum sit inter te & me*. Concedimus vocari pactum, vel signum pacti, vel, ut Paulus vocat, si-gnaculum fidei, circumcisionem: ergo tantum in coena panis est si-gnum, ibi & vinum signum est, & nihil præterea? non sequitur. Sacra menta ex propria cuiusque institutione consideranda sunt, quia nihil tale dixit Christus de pane, quod de circumcisione ibi dicitur. Et interim, quando ait, *ut sit signum inter te & me*, manet sane in sua significatione verbum *Est*. Concedimus, cœnam posse dici signum, sed non solum, & nudum signum, quia ut circumcision habebat annexam promissionem, & erat signum foederis in carne præputii, ita cœ-na Domini est signum foederis & salutis pignus in sanctissima carne & sanguine vivifico Christi. Quod dicitur *agnus, pes ab Domini*, si totum textum *Exod. 12.* inspiciamus, nullibi expresse ponitur, pro-significat illud *EST*, quod ego agnoscere potui. Quod vero nonnulli ita legunt, *est enim pes ab Domini*, non ad agnum, sed ad totam actio-nem & ritum refert, qui ex mandato Dei observabatur in edendo

agno, quia dicitur, cum dixerint, quæ est illa religio? dicetis, vi-
ctima transitus Domini est: & videamus totum contextum, & quod
ait: *Est pesah Domini*, potest ad festinationem, & non ad agnum re-
ferri. Deinde Moyses vocat pæsa, id est transitum, propter rei ge-
stæ memoriam, quia additur, *habebitis hunc diem in monumentum, &*
celebratis eum solennem Domino, & custodietis diem istum ritu perpetuo,
&c. Ideo videamus verba institutionis, & considereremus manda-
tum Christi in coena ex verbis, & rursum institutionem agni, in isto
textu Exodi, qui agnus erat figura & typus veri agni Christi, qui est
verus agnus tollens peccata mundi, & pascha nostrum Christus, qui
immolatus est Christus, quæ consideremus in figura ibi, & hic in
veritate, ubi etiam *Eſt*, non ponitur *pro significat*. Christus ve-
rus est ille agnus, tollens peccata mundi. Neque etiam sequitur,
Petrius est Christus, ergo *significat* Christum. Paulus addit rationem:
Bibebant de petra spirituali, comitante populum in deserto,
ideo, non externa illa petra, sed comitans & spiritualis petra erat
Christus revera, & per se, ut ibi *Eſt*, maneat in sua significatione.
Interim petra externa, fuit figura Christi. Ut enim ex percussa pe-
tra emanavit ibi aqua populo sitiensi, ita ex Christi latere percus-
so exivit sanguis & aqua, ad denotationem novorum Sacramen-
torum in Ecclesia Christi, sub novo Testamento, quia per aquam Ba-
ptismus, & per sanguinem coena Dominica exprimitur, ut omnes
Patres loquuntur. Baptismus enim innovat & mundat totum ho-
minem, sanguis quem in coena potamus, nobis offert remissionem
peccatorum. Ibi erat figura, hic veritas est. Deinde, quod dicis,
Johannes est Helias, id est, Johannes significat Heliam, est insulsum:
Sed in textu *Mattb. n.* habetur, *Eſt ille Helias*, qui venturus erat, vi-
delicet, de quo Prophetæ dixerant, ideo revera est ille, ut maneat
verbum *eſt*, in sua significatione. Idem dicamus in dicto, *Ego sum*
vitis, id est, ego significo vitem? hoc esset ineptum, sed ego sum vi-
tis vera, vos credentes palmites estis fructiferi in vera vite, me Chri-
sto,



sto, & Pater meus est agricola, purgans palmites. Non dicit, se corporalem vitem esse, sed veram, in qua sunt palmites discipuli & credentes, & Pater agricola purgans, eos. Ideo, in singulis dictis circumstantiae sunt considerandæ. Ita Christus dicitur *Via, Veritas, Vitta, Lux, Agnus Dei*, tollens peccata mundi, ergone significat viam, veritatem, vitam, lucem, & agnum illum tollentem peccata mundi? Ipse est vera via, quæ dicit ad vitam, ait enim: Nemo venit ad Patrem, nisi per me: *Joan. 14.* Est ipsa veritas, quæ mentiri nescit, & patefecit veritatem, ut liberemur ex mendacio. Est lux illa vera illuminans omnem hominem venientem in mundum. Et Christus vita est, nos vere vivificans ad vitam æternam. Christus est osium, per quod nos ingredimur & egreditur ad Patrem. Christus est agnus ille, tollens peccata mundi, ubi tò est, manet in sua significatione? Quod vero dicitur *Joan. 8.* de dicto: *Antequam Abraham foret, ego sum*, hoc ex contextu necesse est intelligi de divinitate, quia tunc nondum erat Christus incarnatus, sed interim erat. Et hic est facilis regula: *Christus Deus est ASSUMENS, & Christus homo est ASSUMPTUS.* Ideo, quicquid habet Christus Deus ex natura, id Christus homo habet ex gratia, exceptis iis, in quibus ante exprimitur unio, aut includitur negatio. Ideo in hoc dicto, SUM verbum, non potest referri ad humanitatem, sic enim includeretur negatio, quia Christi humanitas, vivente Abrahomo, nondum erat. Ubique dicit: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi: Ibi, tò ego, non minus refertur ad humanitatem, quæ tunc erat & extabat, quando hæc ore diceret, quam ad divinitatem, quia hæc non de se, ut partiali, sed de toto loquitur Christo.

XX.

Rationem ex Irenæo, quod propter resurrectionem corporum ore sumatur corpus Christi, nullam esse constat, cum veteris Testamenti populi hoc non sumpserint, attamen resurrecturi sint.

HAMELMANNUS. Veteris Testimenti populi, habebant sua Sacra menta, & interim suo modo participes fiebant Sacramentorum

novi Testamenti, videlicet *sub figura*. Nam, ut nos circumcisione, non manu facta per Christum sumus circumcisii, quando exuimus corpus peccatorum carnis per circumcisionem Christi, &, ut Pascha nostrum est Christus, immolatus pro nobis, ita & illi sub nube per mare transientes, in mari & nube baptisati sunt, & omnes eandem escam spiritualem comedebant, & potum spiritualem bibebant. Item, ut illi habuerunt externum verbum, ita quoque extera sacramenta & sacrificia, quæ futurum Christum, & hæc mysteria magna præfigurabant. Sed, quid volumus de illis disputare, cum Christus jam venerit, & hæc Sacra menta ita instituerit, eur non credimus? cur jam volumus cum populo veteris Testamenti excipere?

APPENDIX POST-COLLOQUIO JEVERENSI, *De* inter HERM. HAMELMANNUM & WEMPONEM OITENSEM instituto.

UN num adhuc scire te, pie Lector, volui. Venit quidam vir juvenis WEMPO OITENSIS, hoc puto illi nomen fuisse, forte subornatus ab aliis, ad Hamelmannum, die 6. Oct. eodem anno, & primo petiit conditionem, & tandem prolabitur in disputationem, atque prolatis *Oleviani & Petri Rami* libris in re Sacramentaria, prolixius cum eo commentatur, eadem repetens quidem argumenta, quæ hic in præcedentibus disputatis habentur, ad quæ similes, ut antea, solutiones dedit Hamelmannus. Mox iste, cum nihil haberet, quod opponeret, dicebat: *se nolle Augustane confessioni subscribere, sibi sufficere scripturam sacram.* HAMELMANNUS respondit. Ergo tu nullam admittis methodum, &, hac ratione, non sunt tria symbola admittenda, nisi vel in illis habeas aliquid, quod reprehendas. Mox iste rursum cum urgetur



tur dictis Pauli, nec effugere posset, dixit: *τὸ Εὐαγγέλιον εἶναι διάτοκον τοῦ Παύλου: Εὐαγγέλιον εἶναι ηδεῖον τῆς θεοτοκίας, ομνιμόντοις προς τὴν σωτηρίαν.* Item: *Baptismus est lavacrum regenerationis.* Panis fractus est *Kovavica corporis, &c.* intelligi debere, pro significat. Item, *Natura signorum esse, ut rem non praesentem, sed absentem denotent, Sacramentum Eucharistie esse signum, &c.* Respondit rursus ad ea HAMELMANNUS. Si omnia Sacra menta sint signa absentis rei? haec est tua Major, Arca foederis fuit signum praesentiae Domini, Ergo Deus non adfuit, sed absuit, quod non potest concedi, ideo tuum argumentum solvi per instantiam. Quod ad tria illa dicta Pauli attinet, si ita semper debet, ly *Eft, intelligi: Ergo quando dicitur, homo est animal, sumatur quoque pro significat in definitione.* Nam, quando Paulus ait: *Εὐαγγέλιον εἶναι ηδεῖον τῆς θεοτοκίας προς τοὺς προσκεκριθέντας τῷ Θεῷ, ομνιμόντοις προς τὴν σωτηρίαν,* non minus definit Evangelium, quam homo definitur ab Aristotele, cum inquit: *Homo est animal rationale.* Item, in Baptismo, quando dicitur à Paulo ad Titum 3. *Baptismus est lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus sancti, non minus est definitio Baptismi, quam illa, homo est animal rationale.* Et quod ad locum Pauli attinet: *Fractus panis est Kovavica corporis, & calix benedictus est communio sanguinis Christi, si ibi Τὸ Εὐαγγέλιον εἶναι debet pro significat sumi: Ergo ibi nulla plane est communio, & ne quidem illa spiritualis, de qua vestri loquuntur, & quam urgent, quorū igitur verba Pauli conducunt, aut quomodo possunt commode intelligi?* Et ceterus Eucharistia esset inutilis. Hic ille rursus ait: *Dic Hamelmann, cur est oralis & corporalis praesentia utilis & necessaria?* Respondit HAMELMANNUS: quia Christus illam instituit, nam spiritualem Christi praesentiam & communionem, quae fidei tantum est, possumus ex solo verbo percipere sola fide. Curigitur tanto conatu, & tam serio, & tam diligenter singularibus, & exquisitis verbis, in solenni testamento jamjam moriturus, instituit hoc Sacramentum, & diligenter discipulis Christus commendavit, ut tres Evangelista, & Paulus diligenter omnia describentes, testantur? Sed, cum multa alia, iste Wempo, protulisset, partim absurdā, partim antea in his disputatis ventilata, ad ea commode respondit Hamelmannus, & , cum ad extremum redactus esset, ut nihil haberet, quod opponeret amplius, dixit: *Omnes Cingianos & Calvinistas, aut alios Sacramentarios, esse homines sanctos, & in vita modestos, pios & doctissimos, ideo illos errare non posse: ergo illos rectius sentire, quam Lutheranos.* HAMELMANNUS respondit: Etiam Anabaptistæ longe sanctius dicuntur vivere, quod etiam nobis JEVERÆ quidam Anabaptista objecit. Adde, quod Satan se in Angelum lucis transferat, & quod veniant hæretici

hæretici in vestitu ovium, teste Christo : Novimus, tales Hæreticos extitisse, qui non solum doctissimi erant, sed in primis sanctitati vitæ studebant, Arius, Apollinaris, Eunomius, Semiariani, inter quos erat Basilius Anchyranus , hi fuere doctissimi & acutissimi viri. Deinde , scribunt historici Ecclesia, Socrates, Sozomenus & Nicephorus de Macedonianis, quod ita vitæ pietati studuerint, ut moribus spectatis se populo probari conati sint. Philippus Melanchthon solebat Bernhardum Rothmannum vocare, virum doctissimum & acutissimum, & is interim non solum Anabaptista factus est, sed tandem, rejecta scriptura, se somniis dedit, & Polygamiam defendit, imò uno tempore ipse sex conjuges, sub suo impio Rege Monasterensi Johanne Leidense, habuit. Servetus, Blandrata, Ochinus, Gentilisq; à vestris deficientes, primum Anabaptista facti sunt, & postea Ariani, & tamen fuere viri doctissimi. Ochinus defendit etiam Polygamiam publicis scriptis. Turcæ sunt quoque spectatae vitæ, & per tres horas quotidie orant, & vinum non bibunt. Pharisei apud Judæos, & Monachi in Papatu, vitæ inculpatæ specimen præbuerent, & adhuc præbent, ut in Jesuitis videre est. Hic rursum dixit: *nos exilia propter nostram doctrinam patimur, hinc inde ejicimur, & nullum locum habemus, sicut vos Lutherani ubique eftis accepti.* Respondit HAMELMANNUS. Idem hodie Anabaptista, & novi Ariani objiciunt nobis, & olim Samosatenus & Arius, Photinus, Nestorius , & alii hæretici in exilium acti sunt. Ergone propterea vera docuere? Tandem, ille tacuit & dixit : *se ad navem properare, atque manere in sententia sua.*



INDEX



INDEX I.

HISTORIÆ COLLOQVII JEVERENSIS,

Qui est Capitum.

DE COLLOQVII JEVERENSIS AUTORE	CAP. I.
DE OCCASIONE ET CAUSA INSTITUTI COLLOQVII	II.
DE LOCO UBI HABITUM COLLOQVIVM, URBE JEVERA	III.
DE IIS, QVI COLLOQVIO JEVERENSI INTERFUERUNT	IV.
DE ARGUMENTO ET PROCESSU COLLOQVII	V.
DE FINE ET FRUCTU COLLOQVII	VI.
DE POST-CLLOQVIO JEVERENSI	VII.
DE CONSENSU RECENTISSIMORUM REFORMATORUM CUM SACRAMENTARIIS JEVERENSIBUS	VIII.

INDEX II.

HISTORIÆ COLLOQVII JEVERENSIS,

Qui est Rerum & Verborum.

Prior numerus caput, alter capitinis sectionem notat.

<i>A</i> cumenſis (Herm.) <i>Pastor Jevera-</i>	<i>Bremensis Archiepiscopus Henr.</i>	<i>I. 8</i>
<i>nus</i>	<i>Bremensis turbator Hardenberg.</i>	<i>II. 6. IV. 9</i>
<i>Αλλογενησικοπία Cancellariorū</i>	<i>Brunovicense Colloquium</i>	<i>IV. 9</i>
<i>Altenburgum</i>	<i>Burenius (Dan.) Consul Calvinianorum</i>	
<i>Amlingius turbat ecclesias Anhalt.</i>	<i>Bremensis</i>	<i>IV. 9</i>
<i>Anabaptiste Jeverenses, & Lemgovio-</i>	<i>Burmannus (Fr.) Theol. Ultraject. no-</i>	
<i>nes</i>	<i>tatur</i>	<i>IX. 4. 6. 8</i>
<i>Andrea (Jacob) laudatur</i>	<i>Burnettus (Gilbertus) Episcopus Salts-</i>	
<i>Anhaltinus</i>	<i>buriensis notatur</i>	<i>IX. 4</i>
<i>Anhalt. Princeps Georgius V. 6. Caro-</i>	<i>Calviniani Jeverenses</i>	<i>IV. 1. 6</i>
<i>lus Wilhelmus</i>	<i>Georum emblemata</i>	<i>V. 6</i>
<i>Anton. Güntherus, Com. Oldenb.</i>	<i>pertinacia</i>	<i>V. 7. 8. 9</i>
<i>Arnold. (Gottfried) notatur</i>	<i>σημασία</i>	<i>V. 10</i>
<i>B</i> ackmeiſterus (Lucas) <i>Rostochiensis Cancellarii αλλογενησικοπής</i>	<i>IV. 8</i>	
<i>Theologus</i>	<i>L. 5 Carol. Wilhelmi Princ. Anhalt. I. 3. II. 11</i>	
<i>Braunius (Joh.) Theol. Groning. no-</i>	<i>Chemnitii (Mart.) Judicium de corpore</i>	
<i>tatur</i>	<i>I</i>	<i>do-</i>



I N D E X

- | | | | |
|---|-----------------|---|--------------------|
| <i>doctrine Philippi II. 10. disputat cum Amtingo</i> | <i>VI. 2</i> | <i>burgensis</i> | <i>IV. 10</i> |
| <i>Colloquium Jeverense, vide Jeverense Colloquium.</i> | | <i>Emblemata Calvinianorum Jever.</i> | <i>V. 5</i> |
| <i>Colloquium Hertzbergense</i> | <i>VI. 2</i> | <i>Evangelistarum consensus in verbis Eu-</i> | |
| <i>Colloquium Servestanum</i> | <i>II. 10</i> | <i>charisticis</i> | <i>V. 10</i> |
| <i>Colloquium Branovicense</i> | <i>IV. 9</i> | <i>Exorcismus, testimonium libertatis Oldenburgo</i> | <i>V. 2</i> |
| <i>Colloquium Lemgovense</i> | <i>IV. 11</i> | <i>Fabri</i> (Joh.) <i>Theologus Helmstedtensis notatur</i> | <i>IV. 11</i> |
| <i>Consensus Evangelist. in verbis cœnæ</i> | <i>V. 10</i> | <i>Fanaticorum note</i> | <i>VI. 6.</i> |
| <i>Comites Frisonum</i> | <i>I. 2. 3</i> | <i>Flacius (Matth.) laudatur ab Hamel-</i> | |
| <i>Comites Oldenburgici</i> | <i>I. 2. 3.</i> | <i>manno</i> | <i>V. 24</i> |
| <i>Conciliatio religionum prepostera</i> | <i>I. 9</i> | <i>Fides volatilis</i> | <i>V. 9</i> |
| <i>Corpus doctrine Melanchthonis multos habet errores</i> | <i>II. 10</i> | <i>Gautierius (Th.) Theol. Marpurg. notatur</i> | <i>IX. 4. 5. 7</i> |
| <i>laudatur a Selneccero</i> | <i>ibid.</i> | <i>Georgius Anhaltinus, Princeps Theologus & Theologus Princeps</i> | <i>V. 17</i> |
| <i>taxatur a Chemnitio</i> | <i>ibid.</i> | <i>Gerike (Barth.) Cancellar. Servest.</i> | <i>IV. 8</i> |
| <i>Crellius (Nic.) Cancell. Dresdenis</i> | <i>IV. 8</i> | <i>Gurtlerus (Nic.) Theol. Daventriensis notatur</i> | <i>IX. 6.</i> |
| <i>D Elmenborstii derivatio</i> | <i>I. 4</i> | <i>Halle (Johannes) Cancellarius Oldenburgicus laudatur</i> | <i>IV. 8. V. 2</i> |
| <i>Dextra Dei quid involvatur</i> | <i>V. 13</i> | <i>Hallenfes Theologi notantur</i> | <i>IV. 11</i> |
| <i>Dippelius notatur</i> | <i>VI. 6</i> | <i>Hamelmannus (Hermannus) ordinati-</i> | |
| <i>Dipnosophiste Jeverenses</i> | <i>V. 0</i> | <i>onem ecclesiasticam conserbit</i> <i>II. 4. &</i> | |
| <i>Disputatio Christi cum Pharisais</i> | <i>VI. 1</i> | <i>librum de dictis Patrum</i> <i>V. 24.</i> nec | |
| <i>Lutheri cum Zwinglio</i> | <i>VI. 2</i> | <i>non de liturgia Calvinianorum</i> <i>VI. 7</i> | |
| <i>Philippi cum Pontificis</i> | <i>ibid.</i> | <i>laudatur ab inexhausta eruditione</i> | |
| <i>Chemnitii, Andrea, & Selnecceri cum Amlingio</i> <i>ibid.</i> <i>Hamelmanni cum VVempone</i> | <i>VI. 1</i> | <i>IV. 11. felici memoria, Zelo & diffi-</i> | |
| <i>E Do VVimmekenensis, Dominus Rü</i> | | <i>tandi peritia</i> <i>IV. 5. 11. laudatur ei-</i> | |
| <i>ßringie. I. 1. transfert imperium in</i> | | <i>am ab hostibus</i> <i>IV. 11. Antwerpianam</i> | |
| <i>sororem virginem Mariam</i> | <i>I. 1</i> | <i>proficiuntur</i> <i>V. 24. eum VVinol-</i> | |
| <i>Edzardus Comes Friesæ, Mariam Jeverensem odit.</i> | <i>I. 2. 3</i> | <i>skius allatrat</i> <i>VI. 7. pugnat contra</i> | |
| <i>Edzardi (Jodocus) Antistes Jever.</i> | <i>III. 5</i> | <i>Anabaptistas</i> <i>I. 8. IV. 11. & Calvinians</i> | |
| <i>Menno Eibenstockius, Anabaptista Jeverensis</i> | <i>II. 2</i> | <i>IV. 5. 11. V. 24</i> | |
| <i>Eibichius (Theod.) Consiliarius Olden-</i> | | <i>Alb Hardenbergius, turbator Bremensis</i> | |
| | | <i>II. 6. IV. 9. V. 17. & Jeverensis</i> <i>IV. 5.</i> | |
| | | <i>rele-</i> | |



I N D E X.

- | | | | |
|--|---|--|------------------------|
| <i>relegatur ex urbe Bremensi</i> | <i>IV. 9</i> | <i>M</i> agdalena Oldenburgen sis | <i>l. 4</i> |
| <i>Harmonia Evangelistarum in verbis Eucharisticis</i> | <i>V. 10</i> | <i>Maria (VVimmekenensis) Virgo,</i> | |
| <i>Johann. Honnicius, Antistes Jeverensis</i> | <i>III. 5. IV. 11</i> | <i>Domina in Jeveren. l. i. religionem</i> | |
| <i>Hulsius (Henr.) Theol. Duisburgensis ob calumnias notatur</i> | <i>IIIX. 4</i> | <i>Lutheranam amat & promovet l. 2.</i> | |
| <i>F</i> Ada Fluvius | <i>l. 2</i> | <i>moritur</i> | <i>l. 3</i> |
| <i>J</i> apetus (Joh. Henr.) Turbator Jeverensis | <i>IV. l. 3. V. 3</i> | <i>Mariana religio</i> | <i>l. 2</i> |
| <i>Jeverae urbis descriptio</i> | <i>II. 1. seqq.</i> | <i>Melanchthon(Phil.)ejuscorpus doctrina multos habet errores II. 10. primum</i> | |
| <i>Jeverense colloquium a Johanne Comite indictum I. 8. 10. ejus occasio</i> | <i>II. 2. 6</i> | <i>Luth.tandem Calv.patrocinatur V. 17</i> | |
| <i>Jeverensem turbatores Hardenberg</i> | <i>II. 6</i> | <i>Meleb.(Joh.)Theol.Herb.notatur IIIX. 4</i> | |
| <i>& Quantius, Japetus & Meppelen sis</i> | <i>IV. 5. V. 3. 6</i> | <i>Memoria est rerum presentium V. 14.</i> | |
| <i>Jeverensem quorundam Pastorum recessio</i> | <i>II. 11. III. 5</i> | <i>in Hamelm. & Varenio stupenda IV. 11</i> | |
| <i>Johannes Comes Oldenburgicus Successor virginis Mariæ l. 3. ex stirpe VVittekindi ortus l. 4. ejus educatio, studia, & in ecclesiam & politiam merital. 5. 6. 7. ejus adagia l. 9. & obitus</i> | <i>10. Colloquium Jeverae indixit l. 8. 10.</i> | <i>Meppelen sis (Joh.) Turbator Jeverensis</i> | <i>IV. 1. 6. V. 6.</i> |
| <i>Johannes Princeps Anhalthinus</i> | <i>l. 4</i> | <i>Morus (Thomas) rebus sacris se immiscet</i> | <i>IV. 8</i> |
| <i>L</i> angius (Joh. Mitch.) Theol. Altorfinus noratur | <i>IV. 11</i> | <i>N</i> Azianzenus excusat | <i>VI. 1</i> |
| <i>Lemgoviensis Colloquium</i> | <i>IV. 11</i> | <i>Note Fanaticorum</i> | <i>VI. 6</i> |
| <i>Leydeckerus (Melch.) Theol. Ultrajectinus notatur</i> | <i>IV. 11</i> | <i>O</i> ltensis (Wempo) turbat ecclesiam Jeveranam IV. 6. occasionem post colloquio Jeverensi subministrat VII. 1 | |
| <i>L</i> icentiat Theologie nomen quid impotrat | <i>IV. 11</i> | <i>Oldenburgum</i> | <i>l. 4</i> |
| <i>Lutherus laudat Philippi corpus doctrinæ II. 10. adversarium habet Thomam Morum</i> | <i>IV. 8</i> | <i>Oldenburgica Magdalena</i> | <i>l. 4</i> |
| <i>Lutherana religio in Dynastia Jeverensi</i> | <i>l. 2</i> | <i>Oldenburgensis Cancellarius</i> | <i>IV. 8</i> |
| | | <i>Olevianus (Caspar) notatur</i> | <i>VII. 3</i> |
| | | <i>Oralis manducatio pungitur a Calvinia nis V. 18. precipue a VVendelino ibid.</i> | |
| | | <i>P</i> atres primitiva ecclesia, non sunt contra filios | <i>V. 16</i> |
| | | <i>Particula in, cū sub, quid involvant</i> | <i>V. 12</i> |
| | | <i>Pertinacia Calvinianorum</i> | <i>V. 7. 8. 9.</i> |
| | | <i>Amlingii</i> | <i>VI. 2</i> |
| | | <i>Philippiste Jeverenses</i> | <i>V. 17. VI. 6</i> |
| | | <i>Pictor.</i> | |



I N D E X.

<i>Pilletus (Bened.) Theol. Genoensis notatur</i>	<i>IIX. 4. 8</i>	<i>Theologi Rostochienses I. 5. IV. II</i>
<i>Pietiste describuntur</i>	<i>VI. 6</i>	<i>Theologi Hallenses obtempore notantur IV. II. VI. 6</i>
<i>Post colloquium Jever. IV. 6. VI. 1. 2. seq.</i>		
<i>Placette (Joh.) Theol. Ref. Hafniensis notatur</i>	<i>IIX. 6</i>	<i>Theologica moderatio V. 6</i>
<i>Propositiones Sacramentales</i>	<i>V. 5</i>	<i>Tilingius (Henr.) Consiliarius Oldenburgicus IV. 9. Adversarius Hardenbergii ibid. eius judicium de Patribus V. 16</i>
<i>Quallius (Conradus) Turbator Jeverensis W. 1. 6. V. 6</i>		<i>Till (Salomon van) Theol. Leidenensis notatur IIX. 4</i>
<i>Ramus (Vetus) seductor Wemponis VII. 3</i>		<i>Varenius (Augustus) appende memorie Theologus IV. II</i>
<i>Hugonottus faber ibid.</i>		<i>Vaeckius (Alardus) Antistes Jeverensis laudatur III. 5. IIX. 5. 10</i>
<i>Reinknigius (Statius) Consiliarius Oldenburgicus</i>	<i>IV. 10</i>	<i>Veritatis hostes sunt redarguendi VI. 16</i>
<i>Rosenroth (Christ.) Cancellar. Sulzb.</i>	<i>IV. 8</i>	<i>Vietor (Octo Phil.) Theol. Casselanus notatur IIX. 4. 7</i>
<i>Rostochienses Theologi I. 5.</i>	<i>IV. II</i>	<i>Wangeroge insula descriptio III. 2</i>
<i>Rijssenius notatur</i>	<i>IIX. 4. 6</i>	<i>Wangerogenum mores corredi III. 2</i>
<i>Schenckius (Tileman) Theol. Marpurg. notatur</i>	<i>IIX. 4</i>	<i>Wendelinus (Marc. Frid.) Calvian. Prof. V. 18</i>
<i>Selneccerus (Nic.) Ordinationem Ecclesiasticum Oldenburgi conscribit II. 3. eius liber de unione personali II. 6. laudat corpus doctriinae Philippi II. 10. disputat cum Amlingio Herzberg VI. 2</i>		<i>Werenfelsius (Petrus) Doctor Basileensis notatur IIX. 4</i>
<i>Serbestani Principes I. 1. 3. II. 11</i>		<i>Wernsdorffius (Gottl.) Theol. Witteb. laudatur IIX. 8</i>
<i>Serbestanus Eranista VI. 2</i>		<i>Wesenerus (Gebh. Henr.) Cancellarius Rhenum IV. 8</i>
<i>Serbestanum colloquium II. 10</i>		<i>Carolus Wilhelmus, Princeps Anhaltinus, sicut Carolus.</i>
<i>Sessio ad dextram Dei quid in sollicito V. 13</i>		<i>Wimmenkenensis, Dominus Ruffringia I. 1.</i>
<i>Signa gratiae V. 11</i>		<i>Wincklerus (Joh. Joseph) Syncretista I. 9. IV. 11. IIX. 11</i>
<i>Spanheimus (Frid.) Theol. Leid. notatur IIX. 4. 6</i>		<i>Winoliskii (Stanislai) Calumnia in Hamelmannum VI. 7</i>
<i>Steinberg (Burckhardtus) Praeses Colloquii Jeverensis IV. 7</i>		<i>Zerbestani Principes I. 1. 3. II. 11</i>
<i>Strimesius (Sam.) Prof. Francof. notatur V. 9</i>	<i>IIX. 3. 4. 5. 8</i>	<i>Zerbestanum colloquium II. 10</i>
<i>Subscriptiones Ordinationis ecclesiasticae II. 6</i>		<i>Zerbestani Gymnasi Prof. Wendelinus V. 18</i>
<i>in Dynastia Jeverensi II. 11</i>		<i>Zerbestanus Eranista Amlingius VI. 2</i>
<i>Syllius (Math.) Alastor Jeverensis V. 12</i>		<i>Zettingerius (Joh.) Theol. Basileensis IIX. 8</i>

SOLI DEO GLORIA.

❀ () ❀





Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg





Landesbibliothek Oldenburg





Landesbibliothek Oldenburg

